



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Bene Meditandi**

**Berzetti, Nicola**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Cap. II. Quid faciendum ipso tempore meditationis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

QVID FACIENDVM TEM-  
pore meditationis.

C A P U T II.

*Modus coram Deo comparendi.*

CUM tempus meditationem  
Cinchoandi advenerit, nisi  
quid melius occurrat, imaginari  
sibi quis poterit, tanquam ab  
Angelo suo Custode, sive alio  
quovis sancto tutelari invite-  
tur, ut coram Deo compareat.  
Itaque aspergens se aqua bene-  
dicta, & signo crucis muniens,  
cum intentione Dæmonem (qui  
eo potissimum tempore Deo u-  
niri volentes turbare conatur)  
procul inde arcendi, ad lo-  
cum meditationis singulari qua-

dam aviditate se conferat , quæ  
quò erit major , eò etiam copio-  
sior fructus erit , quem meditatio  
pariet , ipseque meditans colle-  
ctior , & in meditando devotior.

Vno, vel gemino adhuc passu  
distans à loco meditationi desti-  
nato per spatium , quo recitari  
posset semel precatio Dominica,  
aut paulo amplius , animum ad  
Deum elevet, cogitetque, eum  
sibi præsentem, & attendentem  
quid sit facturus, hocque faciet,  
vel imaginando, se in cælo ante  
altissimum Divinæ Majestatis  
Thronum à suo ductore consti-  
tuiti, vel benignissimum Domi-  
num in eo ipso, ubi meditatur,  
loco pulcherrimum & omni ve-  
neratione

neratione dignissimum vultum  
sibi spectandum exhibere.

*Quinque modi formandi sibi Deum  
præsentem.*

**D**ivina porrò præsentia ef-  
formari solet, vel ab intel-  
lectu vel ab imaginatione. Si ab  
intellectu formeretur, per fidem id  
fieri potest duobus modis. pri-  
mò concipiendo, quod Deus ip-  
sum omni ex parte circumdet,  
perinde ut aqua maris, aut fluvii  
cujuspiam intra se continet &  
circumdat pisces. Secundò cre-  
dendo quod Deus in se aut aliâ  
quâvis re sibi propositâ, sit, sicut  
in omnibus aliis per essentiam,  
præsentiam & potentiam, cla-

rissimè vidēs quidquid ipse agit,  
& auxiliū ad id necessariū sub-  
ministrās; & consultum est; ut al-  
tero ex his modis utatur, qui de-  
bili est imaginatione, aut pericu-  
lū subit, ne in repræsentationes  
perverfas, dubia, aut errores in  
materia fidei incidat. Adjuvat et-  
iam devotionem non parū si quis  
hæc aut similia verba ex intimo  
corde in animo dicat: *Deus hic  
ante me est. Deus attendit quid sim  
facturus: Deus ac si nihil aliud ha-  
beret quod ageret, ad dandam mihi  
optatissimam audientiam hic præ-  
sens est.* Si ab imaginatione for-  
metur, per apprehensionem id  
fit pluribus modis. primò fin-  
gēdo sibi Deum præsentem, sicut

pictores

pictores sanctissimam Trinitatē  
depingere consueverunt. Secun-  
dò magnum quendam in accessi-  
bili luce fulgentem, & sacrū hor-  
rorem incutientem globum ap-  
prehendēdo, juxtā illud a S. Ioa-  
nis; *Deus lux est, & tenebrae in eo non  
sunt vlla.* Tertiò repræsentādo sibi  
Deum, ut illum describit Daniel:  
dum ait se vidisse Thronos posi-  
tos, & antiquum dierū, i. e. véné-  
randū quendā senē sedisse, ex cu-  
jus facie fluvius igneus egredie-  
batur, ita ut tota venerandi illius  
senis persona repræsentet æternū  
patrē: facies verò ejus singulari-  
ter Filium Patri coæternū: Flu-  
vius igneus Spiritum sanctum ab  
utroq; ante sæcula procedentem.

*Quae in praesentia Dei formandâ observari debeant.*

**V**erum ne dum praesentia Dei ad hunc modum concipitur & formatur, periculum in errorem Antropomorphitarum incidendi incurratur, qui, ut narrat Cassianus obstinatâ quâdam perveritate in mente suâ, nostra sibi lineamenta & sub humanâ specie immensam & simplicissimam Deitatis substantiam formabant; corrigenda est per intellectum imaginatio, & actus fidei si non expressè, saltem tacitè & virtualiter eliciendus, intra semetipsum protestando, Deum non esse talem, qualem illa sibi fingit, sed ita

repræ-

repræsentari , vel quia quibusdam eâ formâ apparuit, vel quia in sacris litteris hominibus itâ descriptus & repræsentatus fuit, vel denique quia res spirituales comprehendi non possunt , nisi ad similitudinem corporalium ab his , qui dependenter à phantasmatis materialibus operantur. Prætereâ advertere debet qui bene meditari desiderat, plurimum huc conferre, si quam vivacissimè Deum sibi præsentem apprehendat , & cum Psalmistâ laboret, ut , quantum fragilitas humana patitur , omnis ejus meditatio in conspectu Dei firmetur, expedietque singularem diligentiam huic actui impendere,

donec



donec habitu jam comparato facilitatem experiatur, neque tamen eodem semper vultu illum sibi proponet, verum pro varietate materiae, modo benignū atq; amabilem, modo austerum ac terribilem, modo facilem ac flexibilem, ut cum divina Majestate institui possint colloquia diversimodè, & meditationi proportionata.

*Actus post Constitutam Dei praesentiam exercendi.*

**F**ormata Dei praesentia uno ex praedictis modis reflectere animum ad suā indignitatem poterit, atque in seipso sanctum quendam ac reverentialem timorem, excitare, ad eū finem aliquid

ex fa-

ex sacra scriptura recitando : ut,  
*Loquar ad Dominum meum cum sim  
pulvis & cinis,* aut quid simile; tū  
facta humili gestu Deo reverentia  
simul actum adorationis interdū  
eliciet, & genua cordis sui ante  
Dominum cū Manasse Rege fle-  
ctet prius, deinde etiam corporis,  
protestādo interim & agnoscen-  
do summæ & individuae Trinita-  
tis præsentiam, hisce, aut simili-  
bus verbis. *Benedicta sit sãcta & in-  
dividua Trinitas, &c.* aut certè *Glo-  
ria Patri & Filio & Spiritui S. &c.*  
aut *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domi-  
nus Deus omnipotens, qui erat, & qui  
est, & qui venturus est, aut benedictio  
& claritas, & sapientia & gratiarū  
actio, honor & virtus & Fortitudo*

Deo nostro in secula seculorum Amen.  
Genibus flexis, quia justus primus est accusator sui ipsius, maximo quo potest sensu sese peccatorem professus veniam delictorum suorum, nisi quid melius occurrat humiliter petat primis quatuor psalmi miserere versibus, & in medio quinti si videbitur adjungat: *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui, neque disconveniens putet, timorē in se reverentialem & dolorem peccatorū, ut prædictum excitare, licet Deum sibi vultu amabili ac propitio præsentē formaverit; quandoquidē Seraphini ipsi, licet Deum semper habeant benevolentissimum, ad nostrum*  
ta men

tamen exemplum facies suas ante  
conspectum eius alis suis tegunt:  
præterquam quod, quantum est  
ex parte nostrâ, timere semper, &  
dolere debemus propter imper-  
fectiones multas, quibus nun-  
quam non pleni sumus: Neque è  
contrâ minus fiducialiter men-  
tem ad Deum elevare debet, qui  
sibi severum ac terribilem pro-  
posuit, sed memor illius Davidi-  
ci. *Non in perpetuum irascetur:* suffi-  
ciens ad fiduciam concipiendam  
motivum erit, existimare, quod  
Deus illi sit præsens, ut audien-  
tiam tribuat. Necessum tamen  
est hæc omnia breviter absolvi,  
ne tempus meditationis decur-  
terur; nec immorari diutius, quã

opus sit, ut melius disponamur  
ad agendum cum Deo, ante quē  
nemini temerē comparandum.

*Oratio preparatoria.*

**H**isce peractis de impetrata  
peccatorum venia confi-  
dens, audeat oculos ad summam  
Dei Majestatem erigere, & obli-  
gationem suam, qua totum sese  
gloriæ Conditoris impendere  
tenetur, agnoscens, quāto potest  
devotionis sensu orationem præ-  
paratoriam subjiciet, qua gra-  
tiam ab eo petat, ut omnes vires  
atque operationes sincerē ad ejus  
gloriam & cultum dirigantur;  
sciat autem hanc orationem, quo  
ad verba debere esse eandem in  
meditationibus omnibus; quo

ad af-

ad affectum verò , maximo quo potest semper sensu faciendum.

*Primum Prælude.*

**O**Rationi præparatoriæ statim succedat primum prælude, quo breviter in memoriam revocatur historia mysterii meditandi , ac si alteri cuiquam recensetur, absque ullo discursu, & hoc ut incipiat sese illi materia applicare ; & animam propinquius disponere, ut in singulis deinde ejus partibus maturè ponderandis, & bene penetrandis ipso meditationis tempore facilius consistere possit.

*Præludium secundum.*

**S** Vbjunget mox secundū præ-  
ludium, imaginando sibi ac si  
videret loca in quibus contigit  
mysterium, aut aliqua ejus pars,  
tam vivaciter ac si reverà ante  
oculos haberet: advertatque tot  
esse formanda loca, quot ea sunt  
in quibus secundum aliquam sui  
partem mysterium accidit; licet  
duo tria, aut plura in unâ solâ  
meditatione concipienda forent:  
exempli gratia; cum mysterium  
Incarnationis meditandum est,  
repræsentet sibi cœlum, ubi ut in  
aûla regia Consistorium SS. Tri-  
nitatis habitum fuit; distantiam  
cœli à terra, per quam Archange-  
lus Gabriel descendit, superficiè

totius

totius terræ, quam omnis generis homines diversimodè occupati inhabitant, Domum Nazarethanam, in quâ B. Virgo degebat, & mysterium completum fuit. advertat etiam, cum semel imaginatio loci cujuscumque circa aliquod mysterium feliciter successit, ne unquam variet imaginariam illam loci compositionem, quantumvis frequenter ad idem meditandum mysterium rediret, nisi fortè necesse esset circumstantiam aliquam ad illam perficiendam adjungere.

*Triplex modus formandi secundum  
Praludium.*

**M**odus concipiendi hujusmodi loca erit, vel imagi-

B. nando



nando sibi, quod Deus illa in cœlo ipso, veluti in tabula quadam eleganti distincte omnino depicta exhibeat, si forte ab initio per imaginationem eò se transtulerit, ut supra dictum vel si Deum sibi præsentem in terra constituit, imaginando quasi illa etiam loca ibidem præsentia habeat; vel denique quod ille ipse simul cum Deo eò transferatur, ubi mysterium accidit. Ut verò hoc facilius, & sine defatigatione capitis fiat, juverit plurimum diligenter inspicere imaginem quampiam mysterii representativam, aut legisse vel audivisse quæ authores de huiusmodi locis tradunt; & in par-

ticulari

ticulari observare distantiam unius loci ab altero atque altitudinem montium, in quibus res gestæ; vel sitæ civitates aut Castella fuerunt, ubi Christus Dominus miraculum aliquod patravit: magni autem refert diligentias has omnes adhibere, quando quidem ad hoc secundo præludio bene formato, non solum recta mysterii intelligentia dependet, verum etiam attentio in meditationis decursu, quæ est res summi momenti in hoc sancto exercitio.

*Tertium Præludium.*

**P**ostea formandum est tertium præludium, petendo à Deo id, quod sibi, ut finem & scopum meditationis proposuit, ut supra

dictum: sive unus is fuerit, sive plures; sive communis omnibus ejusdem rationis materiis sive singulis materiis, vel etiam punctis particularis. hoc verò faciet maximo quo poterit affectu, humilitate, fiducia, instantiâ: quia totius meditationis fructus præcipuè in consecutione finis consistit & hic principaliter obtineri debet per auxilium divinæ gratiæ.

*Exercitatio potentiarum circa puncta meditationis.*

**M**editationem ipsam auspicabitur à primo puncto quod præparavit, tres præcipuas animæ potentias circa illud exercendo: memoriam quidem ma-

teriam ipsam in principio & progressu meditationis opportunè suggerendò, prout discursus ipse postulabit; conditiones ( de quibus infra ) circa personas, verba, & opera, aliaque in sacra scriptura vel bonis authoribus lecta, si-ve à viris sapientibus, & spiritualibus audita, dummodò ad rem, de qua meditatur accomodata, proponendo. Intellectum verò apprehendendo materiam à memoria propositam, & desuper discurrendo, & deducendo unum ex alio, & quod deductum fuerit, si opus sit, rationibus authoritatibus, similitudinibus, exemplis, &c. Confirmando; veritates, lumina, & stabiles conce-

ptus inde colligendo. Volunta-  
tem denique, suscitando in se-  
ipso affectus illos, & proposita fa-  
ciendo, quæ objecta ab intelle-  
ctu proposita, tanquam bona  
exigent: præter tres hæc præci-  
puas animæ potentias exercebit  
etiam subinde, dum necesse fue-  
rit phantasiam, representando  
intellectui situm, magnitudi-  
nem, motus personarum, altitu-  
dinem, & asperitatem loco-  
rum, &c. renovando præsen-  
tiam Dei, itemque B. Virginis,  
Angelorum, & sanctorum for-  
mando, quando cum illis insti-  
tuenda, colloquia.

*Modus intellectuū exercendi  
prolixior.*

**M**odus has potentias exer-  
cendi (maximè loquendo  
de intellectu, cui magis propriū  
est varietate uti in suo exercitiō)  
duplex est pro duplici modo sese  
præparandi superiūs insinuato,  
scilicet vel ruditer sibi juxta veri-  
similitudinem, prout geri potuit,  
historiam formādo, & personas,  
verba, & opera, quæ in ea proba-  
biliter interveniūt, determinādo;  
vel certè eandē sumendō simpli-  
citer, prout ab authore, qui medi-  
tandi argumentū suggerit, expri-  
mitur; & eas solū personas, verba  
& opera cōcipiendo, quæ in ipso  
authoris textu recitantur absque

ulla cura de aliis tum quidem,  
quæ verisimilitudo & decorum  
historiæ postularet.

Cum ergo primo præparationis  
modo usus fuerit potentias suas hac  
ratione exercebit. à principio incho-  
ando memoria mysterium recensabit,  
donec verbum aliquod, vel actio il-  
lius personæ occurrat à quâ filum hi-  
storiæ ducitur. exemp g Si quis my-  
sterium Incarnationis meditan-  
dum suscipiat, supponendo hi-  
storiæ, prout geri potuit, inven-  
tam; memoria dicet, multis an-  
nis post homines ad gloriam cœ-  
lestem participandam creatos,  
Deus illos de excelso throno suo  
respexit, hoc factò ab exercitio  
memoriæ quiescet; ac per intel-

lectum

lectum apprehendet verbum aut  
actionem illam, quam sibi pro-  
posuit, & eandem diligenter con-  
siderabit, donec benè intelligat,  
ad hoc ipsum ponderando con-  
ditiones illi proprias, quæ infra  
subjungentur, & paulatim à me-  
moria, ut opus fuerit suggeren-  
tur. Et si videbitur, incipere po-  
terit à prima conditione, quam  
verbis sub nomine Authoris, &  
operibus sub nomine principii,  
persona quæ loquitur aut ope-  
ratur comprehendit, ut hac oc-  
casionem viam sibi ad considera-  
tionem ipsius sternat, à qua, ut  
fonte, verba & opera deinceps  
meditanda procedunt: reflecten-  
do an conditiones personarum



sint cōformes vel difformes, verbo aut actioni propositæ e. g. insistendo exēplo supra posito: quia memoria proponit actionē quādam Dei, scilic. quod ex cœlo homines respiciat: intellectus dicet. *Principium & efficiens huius actionis est Deus, qui tametsi seipsum semper intuetur hoc ipso planè beatus est, nec ulla ratione, humano indiget adjumēto, nihilominus quia misericors est, sponte sua etiam homines respicit ut ipsorum indigētia succurrat: hinc attentè considerabit, num sic respicere homines (ut in exemplo maneamus) deceat naturā, substantiam, intellectum, voluntatē ceterasq; cōditiones personæ divinæ conveniētes discursum, uti supra*

dictum

dictum aliqua authoritate aut ratione, aut exēplo, &c. Confirmādo, & hoc finito cōsiderabit alias circumstantias magis particulares illius actionis, quæ in nostro exemplo est, *respicere homines*: v. g. quæ sit illius natura, qualitas, finis, modus, &c. idēq; faciet circa conditiones verborū, cum à memoria proponentur; attentè semper expendendo, quàm deceant, aut non deceant personam eiusque statum, à qua proferuntur vel exercentur. Et ut hic discurrendi modus non curiosus tantū, sed utilis quoque existat, postquā cognoverit unā quāpiam conditionē aut plures, personæ, verbo aut actioni propositæ confor-

mes esse, aut difformes, sibi ipsi applicabit cognitionem illam, & ex eadem pro sua spirituali necessitate eliciet unum vel plura lumina, ad emendationem propriam, concludendo, decere se ut in hac vel illa materia, hoc vel illo modo operetur, ad imitationem illius personæ de qua meditatur; quæ aut loquitur, aut operatur convenienter statui, & conditioni suæ rectè & ex præscripto virtutis; aut licet verba quæ dicit, vel opera quæ facit non ita videantur proportionata illius conditioni; nihilominus, quia bona sunt, non ea prætermittit. Advertendum sat copiosam & variam ad discurrendum mate-

riam

riam subministrari, si quis inquirat sedulo; num conditiones personae convenient, aut disconvenient verbo, aut actioni ad meditando assumpta. e. g. ut materiam inchoatam prosequamur; intellectus dicet. *Quid Deus curat respicere homines? & natura ipsius est divina, hoc est, omni ex parte perfecta, quae sola sibi sufficit, & nullius alieni boni indiget, sicut clarè fatetur David Propheta, quando Deum alloquens dicit. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: & nihilominus non obstante hac natura perfectione atque independentia, dignatur ex caelo homines respicere, non ergo videtur satis conformiter naturae suae omnino indepen-*

ri operari. Deinde discursum hunc suum ratione aliquâ vel auctoritate confirmabit, ut magis solidè lumen inde colligere possit. e. g. dicet. *Sane non sic homines huius seculi faciunt, qui quanto maiores sunt, & magis independentes ab aliis tanto eos minus dignantur respicere.* ità cōtigit inter divitem Epulonem & Lazarum mendicum; nam quia existimabat se huius opera non egere, nec ullo modo ab eo dependere, licet propè domum suam miser ille iaceret undique ulceribus plenus, ne semel quidem benigno illum oculo intue-ri dignabatur: & ipsa ratio humana ita exigere videtur, cum illa sit natura rerum independen-  
tium,

tium, quod ita in seipsis quiescant, ut opus non habeant respicere quicquam extra se postmodum ut concludat, quod Deus nihilominus bene faciat respiciendo homines, ut intelligat actionem illam divinæ naturæ conformem esse, subiunget: Verum Deus Longè aliter procedit atq; homines; ut ipsè per Isaiam profiteatur his verbis: *non enim cogitationes mea, cogitationes vestra, neque via vestra, via mea & multa operatur* humanam rationem excedentia, tamen enim propter perfectionem suam, & independenciam à Creaturis, hominibus non eget, tamen quia naturam habet non solū perfectā in independen

tia, sed etiam perfectissimam in caritate, quæ tam ipsi est essentialis, quam ipse sibi, ut docet S. Iohannes epistola sua prima, cap. 4. convenienter huic naturæ homines respiciet, ut dum indigos viderit, necessitatibus illorum succurrat: hisce peractis discursum primum absoluet, sibi ipsi applicando, ut præscriptum supra quod in persona divinâ notarit, dicet ergo sic. *Si ergo Deus, quantumvis ob naturam ab hominibus independentem, & in se maxime perfectam, posset non respicere homines; tamẽ ob caritatem quæ eadem est prædita, in illos misericordie sue oculos defigere non recusat, deo procul dubio & egre anime mee oculos ad divinam Ma-*

statem per orationem atque amorem  
frequenter elevare, licet per impossi-  
bile in eo me statum collocatum inveni-  
rem, ut eius ope non indigerem, & in-  
dependenter ab eâ possem subsistere, a  
deoque actus aliquos insignes caritatis  
adversus illum elicere, sicut ipse ad-  
versus omnes homines in communi &  
me in particulari exercet, ita ut pro  
me solo, si opus fuisset libens fecisset,  
quantum fecit pro universis. Præterea  
licet independens essem à meo proxi-  
mo, & nullo eius auxilio indigerem,  
debeo tamē eundem ex caritate respi-  
cere, & observare, an meo ipse auxilio  
egeat. Collectis duobus hisce lu-  
minibus, vel singula singulis vici-  
bus volūtati proponet, vel si ma-  
lit, utrumque simul, conabiturq̄,



illum in se affectum excitare, quē suo statui magis convenientem iudicabit v. g. materiæ propositæ insistendo, *doloris & confusionis*, quod hactenus non tã sæpè mentem ad Deum elevaverit, quã debuisset per actus amoris & frequentes orationes, nec attenderit ad spirituales proximi necessitates, ut debuisset, si est in statu incipientiū; vel *desiderii & spei* in futurum magna cū diligentia hoc ipsum faciendi, si est in statu proficientiū; *gaudii & cōplacentiæ*, quod illum Deus ad elevandam ad se mentē, & ad dona quæ à suâ divinâ maiestate accepit, cū fratribus communicanda inviret; si est in statu perfectorum. Quod ut faci-

lius & fructuosius faciat, utetur  
motivis infra adducendis, vel  
aliis sibi occurrentibus. Postquã  
autẽ in voluntate per motiva de-  
sideratum affectum excitavit, aut  
è contrã voluntatem reluctan-  
tem expertus fuit, continuare ac  
dilatare eundem potest, vel de  
novo elicere adhibitis omni-  
bus, aut certẽ aliquibus modis  
infra subijciendis, prout magis  
placuerit vel nimia voluntatis  
ad prosequendum & ample-  
ctendum, quod intellectus o-  
stendit, bonum duritia postu-  
laverit ordinariẽ tamen mo-  
dum adhibebit, quem *Proposi-  
tum* nominabimus, sive ad abo-  
minandum, & fugiendum malũ,

sive ad eligendum & amplectendum bonum, licet, sensus repugnet, præsertim ubi ratio coniuncta fuerit, idque eo fine, ut meditatio efficacior sit in executione, tum ad vitia & imperfectiones ab anima tollendas, tum ad virtutes inferendas, & omnimodam perfectionem procurandam; tum etiam ad triplicem ex meditatione utilitatem ac fructum, qui prætendi debet colligendum, nimirum in ordine ad intellectum, lumen, in ordine ad voluntatem, affectum; in ordine ad operandum, firmam resolutionem. Atque hic est primus modus tres animæ potentias exercendi, primo præparandi modo respondens.

*Modus Intellectum exercendi  
prolixior.*

**C**Um vero conformiter secundo præparandi modo historiã simpliciter sumpsit, pro-ur ab authore summam narratur, non advertendo ad alias personas, verba, & actiones, quã quæ in eã exprimuntur, antequã priori supradicta methodo, tres potentias exercendi utatur, memoriam atque intellectum occupare poterit, piã quãdam cõsideratione & discursu magis solido, quã si eandem historiã ipse sibi ut probabiliter geri potuit, in præparatione ante meditationem formasset, investigabitque quæ-

nam aliæ personæ verosimiliter  
in isto mysterio intervenire po-  
tuerint, quænam verba actio-  
nes ab illis dici, aut fieri, ut  
eadem deinde seorsim, si vo-  
let secundum priorem supra di-  
ctam methodum considerare  
possit. Consideratio autem hæc  
pia sic instituetur. Memoria in-  
tellectui initium historiæ, sicut  
in authore legitur, proponet,  
donec ad primum verbum vel  
actionem alicuius personæ per-  
veniat, ut dictum in priori  
modo: tum intellectus super  
eadem discursum instituet ope-  
ra memoriæ apprehendendo u-  
nam aliquam ex conditioni-  
bus illis quæ circa personas, ver-

ba & actiones infra ponentur, eundemque expendendo per consequentiam, sive necessariam sive congruam, quod quia persona illa, aut verbum, aut actio tali vel tali conditione prædita fuit, convenienter decore & circumstantijs probabiliter debuerit quoque intervenire talis vel talis alia persona, talia vel talia verba dicere, tales vel tales actiones operari, quæ antecedenter vel concomitanter, vel consequenter connexionem habent cum persona, aut verbo, aut actione proposita e. g. insistendo mysterio Incarnationis Dominicæ: sic tempore præparationis legit solum-

modo Historiam annunciationis à S. Lucæ cap. 1. relatam, ubi dicit. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de Domo David, & Nomen Virginis MARIA:* absque eo quod sibi former totum filum historię, sicut piè credi potest contigisse, absque observatione speciali, quid Deus agere, quæ verba loqui potuerit, antequam in terras Angelum amandaret: memoria intellectus proponet initium historię & dicit: *Deus misit Archangelum Gabrielem ad MARIAM Iosephi sponsam in Nazareth.* deinde intellectus adiuvante memoriâ, uni-

cam vel plures conditiones arripet, pertinentes ad personam Dei qui misit Angelum, & sic dicit. Deus intellectu perspicaci & in suis dictaminibus prudenti est præditus, & hinc occasionem capiet discurrendi & sic concludendi. Itaque non temerè Angelum ad Virginem Sanctissimam, sed consilio misit: sic enim prudentes & magno iudicio inter homines præditi facere consueverunt. Qui legationem quampiam prudenter vult instituere, debet sine dubio motivum aliquod habere ad eam instituendam, & occasionem illam nitenti arripere ex eo quod illi representatur. Itaque etiam Deo motivum aliquod representari debuit, ut Angelum mitteret. At quodnam motivum



habere potuit, quæ homines habent, accipi solent, vel à propriâ, vel à personâ illorum, ad quos legationes mittuntur. motivum ergo quod Deus habuit mittendi Angelum, vel ab hominibus accipi debet ad quos missus est Angelus: hic memoria suggeret intellectui alias conditiones & plures, dicendo: Natura Dei perfecta est, substantia immortalis & beata, intellectus ad inveniendum, quidquid vult, sagacissimus, vires eius maxime ad efficiendum se solo quicquid placet, absque ullius alterius ope. Unde intellectus concludet. Propterea si Deus talis est natura, substantiæ, intelligentiæ, virium, sicut reverà est, dici non debet, motum esse ad legationem hanc mittendam sui causâ, quasi ho-

minis alicuius servitio indigeret, præsertim cum ab eterno absque illo beatus fuerit, & ingentem habeat multitudinem Angelorum, qui ipsi incessanter serviunt, eiusque laudes concinunt; sed concludendum est, motum illum fuisse à miseriâ ipsorummet hominū. memoria aliquam conditionem circa personas hominum subiunget, dicens; homines intellectum habebant obscuratum, & occæcatum circa res divinas, sicut Apostolus dixit in particulari de Gentilibus: tenebris obscuratum habentes intellectum: habebant voluntatem in bono debilem; potentiam motivam ad bona opera pigram, & promptam ad mala, summas propensiones & habitus pessimos habebant, ita ut

de ipsis

de ipsis verificatur illud Davidis: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; sensus illorum ad malum proni, ut Sapiens dixit: proni sunt sensus hominis ad malum. Lingua dolos loquebatur: linguis suis dolosè agebant; Venerum aspidum sub labiis eorum: manus plene sanguine: pedes ad mala opera veloces; (oculi quoad bonum cæci: deinde subsumet: Et cum ipsi in hoc statu essent, DOMINVS, ut dixit propheta, de cælo prospexit, ut videret, si esset intelligens, aut requirens DEVM & invenit quod omnes corrupti essent & abominabiles facti, non esset qui faceret bonum, non es-

set usque ad unum. Hinc intellectus inferet. Hoc sine dubio fuit motivum Dei ad mittendum in terras Angelum, scilicet, ut reformaret intellectum, voluntatem, inclinationes, sensus hominum, eosque plane in alios mutaret, ac fuerant; & in viam reduceret, à quâ deviant. Propterea priusquam Angelum mitteret, respexit, credo ego, super faciem universa terra, & diligenter pervestigavit, quo in statu versarentur homines ab ipso ad caelestem gloriam creati. Inventa iam una actione, quam Deus fecit, antequam Archangelum in terras mitteret, si intellectus plures invenire desideret, memoria illi aliam aliquam con-

ditionem ad Deum spectantem proponet, E. G. dicendo. Deus licet passiones nullas habeat, tamen certâ quâdam proportione secundum nostrum modum loquendi potissimum amore ferri solet, & hinc intellectus colliget. Itaque captus hoc amore hominum, ubi illos ad tam miserum statum redactos vidit, ut precipites in infernum agerentur, sustinere diutius non potuit, ut in tanta miseriâ, tantisque periculis haberent. & suum discursum ratione aliqua vel auctoritate conformabit, ut suprâ diximus esse faciendum. Et reverâ apparet aliter ipsum facere non potuisse, supposito quod tam eos ardentem amaverit, quam amavit; est e-

nim ea natura amoris, ut in miseris  
& periculis videre non possit, quem  
amat. Sic planè accidit Patri Filii il-  
lius prodigi, quem quia vehementer  
amabat, & quasi deperibat, quan-  
tumvis pessimè sese gessisset, ipsum  
deserasset, bona omnia dissipasset,  
domum paternam dedecore affecis-  
set, verbo, nulla in re voluntati pa-  
ternæ satisfecisset, nihilominus sta-  
tim, ut illum rediisse vidit, & ad  
extremam miseriam deducere con-  
tinere se non potuit, quo minus mi-  
sericordia motus accurreret, ca-  
dens super collum eius oscularetur.  
Quid ergo fecit Deus ubi tantam ho-  
minum miseriam conspicatus fuit?  
Deus, memoria dicet, natura  
tam est misericors, ut propheta

dicere

dicere audeat, Misericordia eius super omnia opera eius; & illi proprium sit misereri semper & parcere; & voluntas eius ad opera misericordie & caritatis exhibenda promptissima atque efficacissima. Impulsu igitur, sub inferet intellectionis, nature & amoris, quo in homines fertur, statim ad compassionem motus, de remedio tante illorum miserie ac periculis adferendo cogitavit, & voluntate sua prompta atque efficaci statuit hoc ipsum facere quam certissime, deque modo conficiendi tanti negotii secum deliberavit. Et quia intellectus sue divine Maiestatis est perspicacissimus, velocissimusque, qui in instanti percipit quidquid vult, subito etiam modum invenit propositum tam ca-

ritati-

ritativum voluntatis suæ exequendi:  
uno etiam intuitu vidit à nullâ purâ  
creaturâ posse remedium adhiberi, sed  
opus esse divinâ suâ potentiâ, quâ hu-  
mana fragilitati, ac impotentia suc-  
curreretur advertit cum hominibus  
ita procedendam, ut non misericordie  
solum divina, verum etiam iustitie  
satisficeret penetravit, quod licet per  
satisfactionem, quam fortè Angelus  
quispiam, aut homo iustus obtulisset,  
vel per liberalem quandam absolutio-  
nem, quam fortè hominibus impertiri  
placuisset, misericordie satisfieri pos-  
set, iustitie tamen nequaquam. Simi-  
liter vidit, si ille ipse homo fieret, utri-  
que perfectioni suæ plenè satisfactum  
iri: in quantum enim Deum suam  
hominibus naturam communicaret,

miseri-



misericordia suam obtineret finem, & in quantum homo Deo coniunctus opus aliquod satisfactoriū exhiberet, desiderium iustitiæ impleretur. Consideratis his omnibus inclinatio quæ ad benefaciendum hominibus propendet, & amor quo in illos fertur quasi coëgit, ut statim apud se statueret fieri homo. Hic memoria addet, sed Deus quanquam natura simplicissimus, & in essentia indivisus, est tamen triplex in personis. Verum est, dicit intellectus, ac propterea quia tres istæ personæ divinæ sunt ipsa caritas, singule se ad assumendam carnem humanam promptissimas ostenderint. Aeternus Pater, cui potentia attribuitur, dixerit: me decet incarnari, quia cum in hoc mysterio, duæ tam diverse

natura uniri debeant, potentia requiritur infinita Spiritus Sanctus subiunxerit, imo me decet hoc facere quia est opus Caritatis infinita, quae mihi attribuitur: Denique Filius, cui sapientia tribuitur, proposuerit, convenire sibi; quandoquidem ad incarnationem non solum maxima potentia & Caritas; verum etiam summa sapientia requiratur: addideritque aliam praeter eam rationem superesse, cur sibi potius, quam aliis duabus personis conveniat: decere enim ut ab eadem persona remedium procedat, à cuius perfectione ambitiosè praetensa processit & culpa, omnisque in quam homo lapsus est miseria: constare autem Adamum & Evam peccasse per desiderium scientiae boni & mali, praesertim

cum nihilominus Pater suam huic  
operi omnipotentiam imperdere pos-  
set, matrem ex qua caro assumenda  
esset, obumbrando; & Spiritus San-  
ctus amorem, corpusculum cui erat  
unienda divinitas efformando. Ita-  
que in divinissimo illo Sanctissime  
Trinitatis consistorio conclusum fue-  
rit ut Filius Dei pro hominibus fieret  
homo. Et ecce, quod ad personas  
attinet, ultra personam Dei, in-  
ventam quoque personam ho-  
minum, & Deum in tres perso-  
nas distinctum. Quod vero ad  
verba, inventum quoque ex par-  
te, quid æternus pater, quid Fi-  
lius, quid Spiritus Sanctus dice-  
re, insinuatum etiam, quid homi-  
nes potuerint. Quod denique ad

opera spectat, ultra hoc quod Deus super terram respexerit, inventum quod compassione motus ob miserias hominum, ipsis succurrere proposuerit, & in Sanctissimæ Triados concilio decretum fuerit, ut secunda persona, & non alia humanam naturam assumeret. Sed quia verisimilitudo historiae his solis non est contenta, procedet ulterius memoria, & alias condiciones Dei proponet. *Natura divina, dicit, tam est perfecta, & ipsi proprium ac naturale carere omni imperfectione & defectu, praesertim ubi vestigium aliquod vel umbra peccati appareret, ut neque in se ipso, neque in rebus suis vel minimum ullo modo*

committere velit; - imo si nostro modo loquendi, aliquando passione odii, & cholera corripitur, tam veementi in imperfectiones & defectus feretur, ut omnino destructos & extirpatos videre desideret. Itaque, subsumet intellectus, ne dum humanam assumit naturam, talem aliquam maculam contraheret, memor infligti à se Adamo, propter peccatum, supplicii, quod scilicet omnes ex eo per generationem humanam opere masculi & foemina consummatam descendentes peccato originali essent obstricti, concluderit non velle sic generari: cumque intellectu sit sapientissimo praeclitus statim adverterit modum hunc esse posse, si ex sola foemina absque ullius commixtione, sive cooperatione viri nasce-

nasceretur. Neque perfectissima eius natura in hoc acquieverit; sed corpus etiam perfectum assumere voluerit. quod quia tunc est perfectius, cum eius materia, aliaque dispositiones accidentales perfectiores sunt, decreverit, ut foemina ex qua erat nasciturus, virgo esset, & quidem purissima, ut dum ex puro eius sanguine, corpus & caro quam assumere statuerat formaretur, materia esset absque omni imperfectione purissima. Hic memoria suggeret Deus non modo secundum nostrum intelligendi modum, vinci se finit à passione amandi, dum bene vult hominibus, sed etiam dum omnes virtutes amat, & singulariter humilitatem, imo memini me legere apud S. Bernardum, hanc illi

tantopere placere, ut eam nobis precipiat, ut nec virginitas ipsa sine humilitate illi placere possit inde intellectus inferet. Non ergo voluerit carnem assumere ex femina qua virgo solum, sed qua etiam esset humilis, & quia divino intellectu suo, cui res omnes presentes ac manifesta sunt, perspexerit, MARIAM Iosephi Sponsam in Nazareth utraque hac virtute omnes excellere, decreverit ex illa carnem assumere. demum memoria subiunget: Deus Dignitatem imperialem & regiam, & absolutum in omnes creaturas habet dominium. & intellectus inferet. propterea ut Rex & Dominus Angelorum, quem convenit suorum subditorum uti ministerio, Archangelum Gabrielem ad

se vocaverit, eique exposita voluntate  
sua legationem ad Virginem suo no-  
mine obeundam commisit. bene igitur  
Evangelista ait: Missus est Gabriel  
Angelus &c. Finito hac ratione  
discursu, si fortè nolit ulterius  
inquirere: cur potius Deus Ar-  
changelum Gabrielem, quam a-  
lium quemvis miserit (quod ad-  
huc superest ad partem historiae à  
memoriâ ab initio pro meditâdi  
materiâ propositam spectans) si-  
bi ipsi applicabit, ut fecit in pri-  
mâ methodo ad unum vel plura  
lumina pro suâ necessitate colli-  
genda, prout materia discursus  
offeret. E. G. hic dicit. Si Deus pri-  
usquam Angelum in terras mittat,  
adeo diligenter secum expendit quod



faciendum est: si vinci se ab amore hominum permittit: si statim de remedio illorum miserius adhibendo tractat: si tres personæ divinæ quasi inter se certant, quæ humanam naturam præ aliis assumat: si Deus studiosè cavet ne tali modo concipiatur, in qua vel similitudo, aut umbra aliqua peccati appareat: si matrem eligit quæ virgo sit & humilis simul: si dominium, quod in Angelos habet, impendit obsequio hominum, sine dubio convenit, ut ego successum mearum actionum prudenter considerem, antequam eas aggrediar: convenit ut ab amore divino ferri me sinam, quo cunque voluerit: ut quamprimum de manifestando in effectu huiusmodi amore tractem, ut cum aliis viris piis

quasi

quasi certem, quis Deo arctius uniat  
diligentiusve eidem seruiat : ut vel  
umbras peccatorum & pericula pec-  
candi vitent: ut in præ modum humi-  
litate castitateque amem: ut de-  
nique magnâ curâ & diligentia om-  
nia mea divino obsequio impendam.  
collectis his luminibus circa sin-  
gula, vel saltem aliqua illorum  
pro tempore sibi magis necessa-  
ria, in seipso affectus statui suo  
correspondentes elicere conabi-  
tur, ut supra diximus, eosdemque  
continuabit, & dilatabit modis  
infra dicendis, utens præcipuè  
Proposito, ut supra dictum, quam  
potest efficacissimo ad colligen-  
dum ex ea meditatione tres fru-

ctus suprâ infinuatos. *Lumina, affectus, Resolutiones.*

*In quo differant duo supradicti modi.*

**H**ic est secundus modus tres animæ potentias tempore meditationis exercendi, qui præfertim in duobus differt à primo, alterum est, quod ille personas jam inventas, actiones jam factas, verba jam dicta, quæ continentur mysterio ad meditandum assumpto, supponat; & his suppositis inquit per discursum, quomodo inter se conveniant vel disconveniant: advertendo quam conformitatem habiant conditiones seu qualitates personarum, cum actionibus & verbis

quæ

quæ ab eis procedunt; & vicissim  
conditiones & qualitates actio-  
num & verborum cum personis  
à quibus proveniunt: hic verò  
unica actione præsupposita, aut  
verbo unico, investigat quænam  
alia verba, aut quænam alias  
actiones juxtà decorum proba-  
bilitas historiarum exigat, ut eadem  
persona dixerit aut fecerit: imo  
dum hoc inquit, simul attendit,  
an non probabiliter cum illa per-  
sona etiam alia intervenerit: at-  
que ad hoc assequendum nihilo-  
minus conditionibus personæ  
utitur: considerando, quidnam  
conditio hæc vel ista requirat, ut  
diceretur aut fieret ante verbum  
vel actionem præsuppositam, &

qualem aliam personam in suum  
consortium admittere potuerit.  
*Alterum* vero in quo differunt est,  
quod prior ille modus plerum-  
que ordinatè procedit in expen-  
dendis conditionibus seu quali-  
tatibus personarum ( licet non  
sit planè necessarium, & absque  
errore illa conditio assumi possit,  
quæ primò occurrit, & à memo-  
ria repræsentatur ) & postquam  
illas semel in ordine ad verbum  
unum vel actionem aliquam  
consideravit, non redit amplius  
ad illas in ordine ad eadem ver-  
ba vel actiones considerandas.

At secundus hic modus con-  
ditionibus circà personas positis,  
utitur sicut opus fuerit, ad inveni-  
endum

endum quid dicere aut facere persona aliqua potuerit, non servato ullo ordine, & in uno eodemque discursu sæpius ad eadem redit, si ita opus fuerit, ad assequendum id quod præten- dit, ut supra in exemplo patet, in quo conditio naturæ & intellectus sæpius considerata fuit.

*Quædam circa Exercitium trium  
potentiarum notan-  
da.*

**A**bsolute modo supradicto, circa id quod primo loco propositum fuit trium potentiarum exercitio, paulatim ad alia procedet, per memoriam unum post aliud intellectui ea ratione qua

supra

supradictum representando, ut illis benè consideratis voluntati deinde proponat, quod ad profectum animæ suæ expedire iudicaverit ut ipsa amplectatur aut detestetur, sicut opus fuerit. Non debet tamen quisquam sollicitus esse, ut ad alias personas, verba aut opera progrediatur, quamdiu in uno invenit, quo utiliter occupetur; neque existimare necessarium esse, ut seorsim consideret primo personas, deinde verba, denique opera: quia absque his angustiis, & præscriptis limitibus meditatio facilius succedit, si modo suprà dicto fiat, præsertim cum majori ex parte hæc tria ita inter se connexa sint,

ut una

ut una benè intelligi absque alia non possit. præterea benè advertendum est, quod cum opera memoriæ atque intellectus ad movendam voluntatem sit ordinata eatenus solum adhibenda sit, quatenus ad illum finem obtinendum opus erit, ut meditatio pia & affectuosa, non vana & curiosa evadat. benè ergo fecerit, si observaverit quod suprà dictum, scilicet ut consideratis aliquibus cōditionibus seu qualitatibus alicujus personæ, verbi, vel actionis, considerationem ipsam sibi, suisque necessitatibus applicet modo suprà dicto, & deinde voluntatem ad amplectendum bonum, & malum

E

quod



quod agnovit fugiendum per-  
moveat, ut mox dicetur.

*Quænam circà personas, verba, &  
actiones consideranda.*

**Q**Uandoquidem inter impe-  
dimenta meditationis in-  
venitur ariditas, quæ frequenter  
inde nasci solet, quod quis igno-  
ret, quid circà personas, verba, &  
actiones considerare possit, &  
sufficeret! dicere in communi,  
circà personas expendi posse af-  
fectus, cogitationes, & interiores  
ipsarum virtutes, simul cum ex-  
ternâ compositione, moribus, &  
aliis conditionibus ac circumstã-  
tiis propriis: in verbis sensum tã  
proprium quam metaphoricum,

finem ad quem sunt prolata: in actionibus substantiam atque essentiam illarum, circumstantias temporis, loci, modi, finis, & similes, nihilominus subjungam quædam magis particularia tam circa personas, quam circa verba & actiones ut quicumque se hoc malo ariditatis liberare voluerit, eadem vel omnia vel aliqua considerare possit, prout tempus aut materia requiret. quemadmodum autem incipientibus expedit, quantum fieri potest, paulatim omnia, saltem in uno alterove mysterio percurrere, ut assuescant materiam invenire; sic provecioribus non est opus alia assumere, quam quæ cuivis mysterio sunt propria.

Nec miretur quisquam, tam multa, tamque minuta hoc loco à me poni; nam sicut juxta S. Basilium in sacrâ scriptura quæ narrat mysteria, nullum verbum, imo nulla syllaba pro minutâ haberi debet; ita quoque nihil minutum esse potest, quod ad illorum considerationem juvat; & licet intelligentioribus superfluum videri possit, incipientibus verò confusionem aliquam pariturum, quod tam multa tamque varia illis rerum diversarum capita objiciantur, & termini quidam conditionum seu qualitarum, quos subjiciemus, Philosophici, ab omnibus non satis intelligantur, bonum tamen

est, bre.

est breviter & quasi summarie simul collectum habere, quidquid meditando usui esse potest, ut fructuose occupetur, ut cui unum non succedit, succedat alterum; & qui unum non intelligit intelligat aliud, quod tantam scientiam & cognitionem terminorum non requirit; praesertim cum circa illa ipsa sancti, qui divina sunt meditati sese occupaverint, ut facile notant, qui scripta illorum pervolvunt, in primis S. Ambrosii, Augustini, Ioannis Chryostomi, Hieronymi, & aliorum, qui sacra Evangelia sive in sensu literali, sive morali explicant. Neque ego intendam quem-

quam obligare ut omnia quæ  
hic dico observet, neque ut illo  
ordine, quem teheo, expendat:  
præterquam quod non omnia  
sint pro omnibus personis: ne-  
que in omnibus mysteriis facile  
omnia possint considerari.]

*Conditiones Personarum.*

**C**irca personas ergo 1. atten-  
di potest essentia seu natura  
illarum, siue divina, vel Ange-  
lica, vel humana: simplex an cõ-  
posita; perfecta, vel imperfecta:  
dependens ab alio in esse & o-  
perari, vel independens. 2. ad  
substantiam, num sit corpora-  
lis, vel spiritualis; mortalis

vel

vel immortalis : simplex vel  
composita : passibilis vel impas-  
sibilis. 3. ad intellectum sitne  
perspicax vel obtusus, velox  
vel tardus : bono iudicio vel  
nullo præditus : prudens in di-  
ctaminibus practicis, vel non  
benè vel malè occupatus : illu-  
minatus à Deo, vel non ob-  
scuratus à Dæmone, vel passione  
aliquâ. 4. ad memoriam, prom-  
ptane sit an lenta : facile reti-  
nens, an difficilè: benè vel ma-  
lè occupata. 5. ad voluntatem,  
sitne efficax vel debilis : bona  
vel mala : facile mobilis ad bo-  
num, vel difficile; rebus ter-  
renis implicata, vel aliis : à spi-  
ritu bono mota vel malo; 6. ad

phantasiam, an prompta sit ad apprehendendum, & retinendum, vel tarda: vaga, vel collecta, chimærisne & vanitatibus occupata, an rebus solidis atque utilibus. 7. ad potentiam concupiscibilem, num vehemens sit an languida: occupata objectis bonis vel malis: subiecta rationi, vel eidem rebellis. 8. ad irascibilem, num ardens sit vel moderata: rationis ductum, vel impetum proprium secuta; ad detestandum malum vel promovendum bonum potius adhibita. 9. ad inclinationes num ad bonum vel malum sint propensæ: ad virtutes vel vitia: ad be-

nignitatem vel severitatem: propria commoda vel æquitatem sectandam: ad unionem cum Deo ejusque beneplacitum, pronæ, vel potius rebus terrenis affixæ, ejsque procurandis intentæ. 10. ad passiones sive affectuum sint amoris vel odii: desiderii vel horroris: spei vel desperationis, audaciæ vel timoris, gaudii vel mœroris; melancholiciæ vel cholericæ: benè, vel malè impensæ: domiti; vel indomiti: intensi vel remissi vel moderati. 11. ad intentionem, num ad finem bonum, vel malum ordinata: propriâ electione vel alienâ suggestionem præfixa: efficax vel debilis. 12. ad sensus



externos, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus; num sint acuti vel hebetes: bene vel male custoditi: rationis ductum vel appetitum sensitivum sequentes. 13. ad potentiam loco motivam, num pigra ad operandum vel prompta: dextra & agilis, vel non: voluntati obsequens vel repugnans. 14. ad complexionem, num Cholericam an phlegmaticam, sanguineam vel melancholicam: robustam vel debilem, vel mediocrem: naturalem vel acquisitam. 15. ad valetudinem, num sit bona vel mala vel mediocrem: bene vel male impensa: ordinaria vel ex-

traordinaria, mediis humana-  
nis vel divinis obtenta. 16. ad  
vires num valdè magnæ; vel  
parvæ, vel mediocres: benè vel  
malè impensæ, proportionatæ  
ætati, staturæ, complexioni,  
vel non: ordinariæ vel extra-  
ordinariæ. 17. ad aspectum,  
num sit pulcher, vel turpis, vel  
tolerabilis, causa mali vel non:  
à naturâ datus, vel arte pro-  
curatus. 18. conformis ceteræ  
constitutioni, vel non. 19.  
ad sexum: sitne vir, an mu-  
lier. 20. ad ætatem, sitne  
puer, adolescens, aut vir  
perfectus, senex vel decrepi-  
tus. 21. ad nomen, num di-  
vinitus vel casu impositum:

sitne significativum alicujus rei, vel non: factis respondens, vel diversum, ab illis, selectum & rarum, vel commune & vulgare. 22. ad conditionem, sitne Nobilis, vel ignobilis, ex magno stemmate vel ordinario vel humili; hæreditario jure, vel rebus gestis acquisito. 23. ad dignitatem, sitne Imperatoria, Regia, Principis, Centurionis, Decurionis, &c. modis justis vel injustis obtenta: factis respondens vel non, 24. ad statum, sitne sæcularis, vel Deo consecratus, Conjugalis vel cælebs: virginitatis, vel viduitatis: an voluntate propria vel alienâ suggestionem, vel

etiam

etiam coactione assumptus : an-  
charus & amatus, an verò gra-  
vis, molestus, & invisus. 25.  
ad sectam, sitne Iudæus, Genti-  
lis, Christianus, &c. num ele-  
ctione assumptâ vel hæredita-  
te transcripta : num Zelosè  
propugnata, vel parvi æsti-  
mata. 26. ad officium, num  
sit agricolæ, pastoris, merca-  
toris militis, &c. grave & la-  
boriosum, an facile & dele-  
ctabile, honorificum vel in-  
facie : utile vel dispendio-  
sum : necessarium vel super-  
fluum. 27. ad merita, sintne  
multa vel pauca, magnâ vel  
parva : nota vel ignota : præ-

mii pel pœnæ : laudis vel vitu-  
 perii : præmiis æqualia , vel  
 minora , aut majora 28. ad ob-  
 ligationes , num voluntariæ vel  
 coactæ , multæ , vel pauca ;  
 ex gratitudine vel justitiâ or-  
 tæ : parvæ , vel magnæ : an-  
 tales ut eis facilè satisfieri  
 possit , vel non 29. ad do-  
 na & talenta , sintne à natu-  
 râ , vel gratiâ : acquisita vel  
 infusa ; multa vel pauca : sin-  
 gularia vel ordinaria : be-  
 nè vel malè impensa : nego-  
 tiosa vel otiosa : 30. ad virtu-  
 tes. Sintne Theologicæ , vel  
 cardinales : infusæ vel acqui-  
 sîtæ : benè radicatæ & solidæ ,

vel

vel superficiales & parum stabiles: internæ vel externæ: intensæ vel remissæ. 31. ad famam, sitne bona vel mala: longè lateque sparsa vel secus: constans vel inconstans: sitne eadem apud omnes vel varia: factis proportionata vel major, aut minor: per opera virtutum & honesta vel per fictiones & dolos: benè vel malè impensa. 32. ad bona externa seu divitias, sitne multæ vel paucæ: sufficientes, & cōvenientes pro qualitate personæ, vel non: hæreditariâ successione possessæ, vel aliundè comparatæ: mediis licitis, vel illicitis acquisitæ: benè vel malè usurparæ: 33.

ad amicitias & adhaerentias, sintne cum multis vel paucis: cum nobilibus, divitibus, bonis, doctis, &c. vel cum ignobilibus, pauperibus, malis ignorantibus, &c. sintne veteres vel novae: arctae vel non, causa boni vel mali.

34. ad habitum seu vestitum: sintne asper, vel mollis: personae conveniens, vel non: conformis mori patrio, vel difformis; ordinarius vel extraordinarius: sintne assumptus pro necessitate, & decentia, vel ad pompam & vanitatem, hujus vel istius coloris, &c.

35. ad situm, jaceatne, vel sedeat, vel stet, vel genua flectat, vel prostratus humi procumbat; an decenter, vel

indecenter : Commodè , vel incommodè : uno certo modo, vel vario , &c. 36. ad dominium ; sitne Domini , vel patris, vel mariti, &c. legitimè obtentum, vel secus: benè, vel malè usurpatum : magnum vel exiguum, &c.

*Conditiones verborum.*

**C**ircà voces i. considerari potest author : num Deus, vel Angelus, vir, vel mulier, vel puer: &c. malus vel bonus: num per se loquatur, vel os alterius : procedatne sincerè vel simulatè. 2. cujus partis orationis, sitne nomen, an verbum, vel aliud, &c.

cujus



cujus numeri, cujusmodi, &c. sitne vox hæbraica, latina, vel græca, &c. nomen proprium vel appellativum: primitivum, vel derivativum, figuratum vel non: 3. ad significationem, sitne propria vel metaphorica, simplex & ordinaria, vel mysterii plena & extraordinaria; unius solius rei, vel plurium. 4. ad connexionem, sitne naturalis & prudens, vel casualis & coacta; continuata, vel interrupta: 5. ad efficaciam, obtineat: ne intentum, vel non; sitne exigua vel magna; cordium penetrativa, vel non: 6. ad qualitatem, sitne clara vel obscura, vera vel falsa: selecta vel

trivia-

trivialis: &c. 7. ad mysterium, sitne rei præsentis, præteritæ, vel futura: magni vel parvi momenti: intellectu facile, vel difficile. 8. ad modum, quo est prolata, cum indignatione, vel benignitate: voce elatâ, vel demissâ: cum festinatione vel tarditate: cum arrogantia, vel humilitate: seriò vel ioco: cum irrisione, vel compassione: cum obstinatione, vel modestiâ; cum sinceritate, aut simulatione: cum, vel sine juramento. &c. 9. ad finem sitne bonus vel malus: unus vel multiplex, manifestus vel reconditus; utilis vel inutilis. 10. ad tempus, sitne opportunum vel importunum; breve vel longum. 11. ad locum,

sitne

sitne conveniens vel non : publicus vel secretus ; studiosè quasi-  
 tus, vel casu repertus. 12. ad nu-  
 merum, sitne sufficiens, vel non,  
 superfluus, vel necessarius. 13. ad  
 decorum, an satis convenienter  
 personæ, loco, tempori. &c. vel  
 non.

*Conditiones Actionum.*

**Q**uantum ad opera attinet,  
 intellectus ponderare po-  
 terit ; 1. principium unde proce-  
 dunt. sitne intrinsecum, vel ex-  
 trinsecum ; proportionatum, vel  
 improporionatum. Deus, vel  
 Angelus ; vir aut mulier : solita-  
 rium vel associatum ; efficax vel  
 inefficax ; robustum vel debile, &

infr-

infirmum: totale vel parziale:  
principale, vel subordinatū &c.  
2. essentia & natura illorum, sit-  
ne naturalis vel supernaturalis,  
vel moralis, vel artificialis. &c. 3.  
ad qualitatem; sintne heroica vel  
communia, alicuius virtutis aut  
vitij: perfecta vel imperfecta; in-  
choata vel absoluta. 4. cuius ge-  
neris, interna, vel externa, per-  
manentia vel transeuntia. 5. me-  
ritum; sintne laude vel vituperio  
magno vel paruo præmio digna.  
6. modus quo sunt peracta, festi-  
nanter, vel tardè: ultrò vel co-  
actè adhibito conatu, vel non ad-  
hibito; animo læto vel tristi. 7.  
adiumenta, fuerintne multa vel  
pauca: naturalia vel supernatu-

ralia:

turalia : exspectata vel inexpectata, sufficientia, vel non : bene merito vel immerenti collata. 8. finis sitne proportionatus : vel non : bonus, vel malus : totalis vel partialis ultimus vel intermedius : praevisus vel improvisus : unicus, vel multiplex : naturalis, vel supernaturalis : 9. media, sitne licita vel illicita, convenientia vel inconvenientia : multa vel pauca, naturalia, vel supernaturalia, efficacia vel inefficacia. 10. instrumenta, sitne apta vel inepta, superflua vel necessaria : multa vel pauca. 11. locus, sitne conveniens vel inconveniens ; spatiosus vel angustus ; publicus vel secretus ; honestus

vel

vel inhonestus. 13. tempus Hiemis vel æstatis; veris vel Autumni: noctis vel diei; longum vel breve: 14. numerus, sintne multa vel pauca, sæpius repetita vel continuata.

*Vnde prædictæ Conditiones  
petantur.*

**H**Æ sunt conditiones personarum, verborum & actionum, seu operum, quas alijs nonnullis, quæ adjungi poterant omissis, adducēdas putavi. Observandum insuper quasdā ex his ab authore ipso interdum in narratione historię explicatas reperiri, ut S. Simoēnis à S. Luca in my-

sterio

sterio purificationis ; interdum  
verò non , ut in cæteris mysterijs  
plerisque. Itaque cum vel nullæ  
omnino, vel non omnes explica-  
tæ fuerint , quivis eas sibi forma-  
re potest, prout melius fore iudi-  
caverit : cum verò fuerint expli-  
catæ , considerandæ sunt modo  
ab Authore determinato: expen-  
dendo vim ipsorum verborum,  
quibus ab eodem sunt descrip-  
tæ: unde continget occasione ha-  
rum conditionum, totum histo-  
riæ textum considerari, licet non  
ille totus, sed quædam solum  
puncta ex ipso collecta pro in-  
gressu meditationis assumantur.  
Quod dico, quia ordinariè non  
deberet sumi, ut à quibusdam fit,

---

textus

textus per se ruminandus, dum est animus mysterium meditari; sed potius occasione examinandarum conditionum supra dictarum expendi: alioquin enim cum textus multorum sensuum sit capax, literalis, moralis &c. ut infra dicetur, si per se solus consideretur, continget sæpè tempus duarum vel trium meditationum elabi, absque eo quod mysterium ad meditandum sibi propositum attingat; & quandoque impingi in vocem aliquam intellectu difficilem, quam vel præterire debeat; vel tempus quod ad cognoscendum propositum sibi mysterium sumpsit, perdere.



*Modus breviter percurrendi  
mysteria.*

**Q**uidquid hactenus est dictum, partim eo factum est, ut complura capita suggererentur, ex quibus materia meditationis semel instituendæ petatur; partim etiam ut qui volet circa unum idemque mysterium pluribus diebus versari, habeat quo se utiliter occupet. verum si quis paucioribus contentus esset, & unicâ vice totum aliquod mysterium percurrere vellet, quod satis aptè fieret ipsis festis, quæ Ecclesia ad particularia quædam recolenda mysteria instituit; arripere posset veluti discursus sui

capita,

capita, circumstantias illas, quæ considerari consueverunt in actionibus quibusdam ab eis, qui de Christianis moribus & operibus moralibus tractant, continenturque hoc versu,

*Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, Quando.*

**P**onderando benè quæ persona sit illa, cui præsens mysterium convenit: examinando quam actionem peragat, ubi, quibus auxilijs, quo fine, quo modo, quo tempore: E. G. festo Nativitatis considerando, quis sit ille qui nascitur, quid sit nasci, ubi nascatur, cur nasci velit, quo modo, quo tempore nascatur.

*Primus Modus Meditandi pro festis  
Sanctorum.*

**I**dem modus adhiberi etiam potest, ad meditanda fructuosè mysteria, quæ Beatissimæ Virgini & Sanctis acciderunt, de quibus Ecclesia festos dies instituit, ex omnibus totius illorum vitæ actionibus præcipuas aliquas, & proprio statui magis accomodatas seligendo ad desideratum ex illis fructum colligendum, & per dictas circumstantias considerando. E. G. assumendo considerandam sanctificationem Beatissimæ Virginis, die gloriosæ eius Conceptioni dicato, Iubilum ipsius in Nativitate

tate, & præsentatione; humilitatem die Annunciationis & visitationis &c Crucifixionem S. Petri & decollationem S. Pauli ipsorum festo: Lapidationem S. Stephani, adustionem S. Laurentij, recusationem lactis duobus hebdomadæ diebus festo S. Nicolai Myrensis Episcopi &c. similesque actiones festis aliorum Sanctorum diebus.

*Secundus Modus pro festis Sanctorum.*

**S**ecundò posset quis legendo vitam alicuius Sancti die illius festo, unam atque alteram, vel plures virtutes seligere, in quibus magis excelluit, & tem.

porè meditationis ità illas expen-  
dere, ut ad Dominum IESVM  
qui est caput & fons omnium  
gratiarum hominibus commu-  
nicatarum referat, 1. illum con-  
siderando ut Authorem & cau-  
sam efficientē actionis istius vir-  
tutis; quamvis enim Sanctus ille  
liberi sui arbitrij consensu, suâ  
cooperatione, & conatu multum  
fecerit, ut ad illum Sanctitatis  
gradum pertingeret; nihilomi-  
nus Christus Dominus fuit is,  
qui singulari quâdam ratione ve-  
luti Magister perfectissimus, illâ  
ipsam animam tam gratiosè ex-  
polivit, ut Sancta efficeretur &  
perfecta. 2. agnoscendo illum  
ut causam meritoriam: quid

quid

quid enim pulchri, quidquid in Sanctis boni reperitur, quātumvis suam habeat proportionē & dignitatem propriā in ordine ad gratiam & gloriam, procedit ex meritis Christi tanquam capitis totius Ecclesiæ; & valor operum Sanctorū in eisdem meritis Christi fundatur, qui pro hominibus factus homo, & aliquot menses suprā triginta tres annos, usq; ad contumeliosam mortem crucis laborando, pro Ecclesiā suā indeficientē vivorū meritorū fontem aperuit, qui ad omnia opera, ullo unquam tempore ab hominibus exercenda pertingere posset. 3. considerando eundem ut Doctorem perfectissimum,

qui dum vixit ore suo, & postquam ascendit ad cœlos internis instructionibus talia de omni virtute præcepta hominibus præsertim Sanctis dedit, ut ex memoriâ illius doctrinæ exercitiū illud virtutis, & omnis diligentia quam in id contulerunt Sancti, promanarit. 4. respiciendo illum non solum ut Doctorem in verbo, verum etiam ut causam exemplarem in ipso facto: cum enim ipse absolutissimum prototypon omnis Sanctitatis extiterit, viri Sancti per inspirationes Aeterni Patris non cessantis continuo homines ad eius imitationem invitare hiscè verbis: *respice, & fac secundum exem-*

*plari*

plur docti, merito ita ipsum re-  
lpexerunt, ut in animabus suis  
diversis quidem modis pro di-  
versitate actionum, sed nihilo-  
minus singuli in excellenti ali-  
quo perfectionis gradu ipsum  
depinxerint. s. intuendo ipsum,  
ut causa n finalem, ut coronam  
& gloriam post obtentam de  
mundo, carne & Dæmone Vi-  
ctoriam: quia seipsum illis pro-  
posuit, ut mercedem magnam  
nimis & ut coronam exultatio-  
nis, quo animaret, ne aut labore  
defatigarentur, aut hostium, qui  
in id solum intenti erant, ut pal-  
mam ex ipsorum manibus ex-  
torquerent, impugnatione fran-  
gerentur. his peractis ut medita-



rio sit magis fructuosa, reflectet ad seipsum, considerando num Christus Dominus etiam secum prædictis quinque modis se gerat, & quam ratione disponere se debeat, ut similem illius favorem promereatur. deinde excitabit in se desiderium talis favoris experiendi: causas cur non experiatur, inquiret; seipsum reprehendet, quod auxilijs divinæ gratiæ sibi concessis exemplo sancti illius non satis cooperetur: & alijs prætereà modis, ad voluntatem magis permovendam, & affectus amplificandos, infrà adducendis utetur.

*Tertius Modus pro eisdem festis.*

**A**lius adhuc modus superest, nō minus, quam supradicti duo utilis, qui profestis adhiberi potest. Videlicet si quis Evangelium festo assignatum percurrat, materiam illius in tres, aut plures, partes præcipuas divisam conetur in sensu proprio, aut mystico, secundum omnia quæ in Evangelio continentur, actionibus virtutum Sancti illius applicare, reflectendo postmodum ad seipsum, & inquirendo num in suo vivendi modo inveniatur similitudo aut dissimilitudo cum Evangelio, & vitâ Sancti: denique

excitando in seipso sive dolo-  
rem, quod imitatus non fuerit;  
sive desiderium, & spem imitan-  
di per motiva & modos infra  
adducendos.

*Modus textum Scripturae meditandi.*

**P**ostremò utile quoque fue-  
rit scire, quonam modo quis  
utiliter se possit occupare, quan-  
do meditanda occurret, aut  
vox unica aut integra aliqua sen-  
tentia scripturae, aut parabola,  
quæ sunt objecta refertissima  
sanctâ, atque utili doctrinâ pro  
omni hominum genere, quod  
quamvis hoc loco præcipuè di-  
catur, ut meditationibus de my-  
sterijs instituendis serviat, quan-

do scilicet occasione alicuius conditionis personæ, verbi, vel actionis, quædam pars textus meditanda est, ut supradictum; serviet nihilominus etiam alijs qui illum per se expendere volunt, & præsertim his, qui psalmos ruminare intendunt, ut deinde dum officium malus, vel B. Virginis &c. persolvendum, majori eos devotione recitare possint.

Poterit itaque primò illos considerare in *Sensu literali*, id est, conformi significato illius vocis, sententiæ, & parabolæ, sive secundum intentionem eius qui protulit, sive Spiritus Sancti qui dictavit deinde in sensu

G

quem

quem dicunt, *Tropologicum vel moralium*, & consistit in hoc, ut quis res illis verbis, sententijs parabolis significatas ad emendationem morum & vitæ sive propriæ sive alienæ per conceptus mysticos accomodet, vel etiam in *Sensu*, ut dicitur, *Allegorico*. in quo res verbis illis, sententijs & parabolis significatæ, accipiuntur tanquam umbræ & figuræ rerum futurarum, in ordine ad Messiam, Ecclesiamque eius sponsam, loquendo de veteri testamento; vel proportionaliter in ordine ad alia, Ecclesiam nihilominus, vel aliud quidpiam concernentia, loquendo de testamento novo. Vel denique in

*Sensu Anagogico*, quo mediante significata verborum, sententiarum, & parabolarum elevari solent ad sublimiorem quandam, cognitionem rerum cœlestium, & humanâ superiorem alterius vitæ. E. G. si occurrat una sola vox, ut hæc IERUSALEM. eam secundum Cassianum accipiet *literaliter* pro Civitate Iudæorum tantoperè celebratâ: *tropologicè* pro animâ uniuscuiusque hominis: *allegoricè* pro sanctâ Christi Ecclesiâ: *anagogicè* pro cœlesti civitate sede beatorum. Si quis verò meditetur hanc Christi sententiam. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c.* hac voce *Granum*, in-

telliget grana frumenti, aut alterius cuiusque seminis, quæ ut prosperè germinent, in terra prius corrumpi debent. Secundo tropologicè intelliget personas spirituales, quæ ut possint producere actus virtutum, sicut grana macerari debent per mortificationem & pœnitentiam. tertio ut ità dicamus, ad similitudinem veræ allegoriæ, intelliget allegoricè omnes Martyres, quos prævidit & prædixit his verbis Christus, dum ad suam imitationem ultro tormentis, & morti etiam sese offerrent, magnam copiam meritorum pro se, pro alijs vero præclarissima invictæ fortitudinis & adversus Deum

carita-

caritatis exempla prolaturus.  
Quartò *anagogicè* omnes animas  
beatorum, quæ in inferioribus  
hisce multis tribulationibus, in-  
star grani à Deo pressæ fuerunt,  
ut postmodum cum multiplici  
lucro gloriæ ad excelsa illa trans-  
ferrentur, si quis sibi proponat  
parabolam illam à Christo di-  
ctam. *Simile est regnum cælorum  
homini negotiatori querenti bonas  
margaritas; inventâ autem unâ pre-  
tiosâ Margaritâ abiit, & vendidit  
omnia quæ habuit, & emit eam. Su-  
met in sensu literali, & historico,  
ut verba sonant pro eo quod  
gemmarijs accidit, qui magnâ  
diligentia circumeunt margari-*



tas quærentes, & quia illarum  
pretium norunt, inventa una  
vendunt omnia quæ habent, ut  
illam sibi comparent. in sensu  
*tropologico* accipiet, pro illo quod  
personis spiritualibus accidit,  
quæ mox ut cognoscunt, ubi  
magna gratiæ & virtutum lucra  
facere possint, omnes suas cogi-  
tationes & labores impendunt,  
donec illa consequantur. in sen-  
su *allegorico* pro eo quod infideli-  
bus accidit, qui cum illuminati à  
Deo, pretium veræ fidei & Ec-  
clesiæ Catholicæ præstantiam  
cognoscunt, relinquunt universa  
quæ habent, ut in numerum ve-  
rè credentium admittantur. De-  
nique in sensu *anagogico*, pro eo

quod

quod accidere solet illi, qui habet cognitionem gloriæ cœlestis bonis omnibus præparatæ, quia talis omnia, divitias, honores, vitam &c. periculo exponit, ut illam obtinere possit.

*Affectus in Meditatione  
excitandi.*

**N**E autem discursus circa  
iam dicta solum intelle-  
ctum pascat, is qui meditaturus  
est postquam aliquamdiu discur-  
rerit circà rem unam, in anima  
sua excitare debebit affectum,  
materiæ illi convenientem, &  
tamdiu in dilatando eo, ac con-  
firmando immorari, quamdiu

Deo placuerit ad eundem con-  
servandum concurrere. Et  
quamvis affectus sint multi, ac  
varij ut determinari nequeat,  
huic vel illi semper indulgen-  
dum, præsertim cum plerumque  
à Spiritu Sancto optimo medi-  
tandi magistro dependeant, ni-  
hilominus in quos potissimum  
incumbere debeant ij, qui *viam*  
*purgativam* sectantur, sunt hi: 1.  
magnus dolor, cum insigni pu-  
dore & confusione sui ob pecca-  
ta hætenus commissa, ob negli-  
gentiam & torporem in divino  
obsequio propter oscitantiam &  
languorem in quærenda perfe-  
ctione, &c. 2. timor Sanctus, ne  
Deum offendat, ne gratiam per-  
dat,

dat, ne suæ desit obligationi in  
correspondendo voci, & inspi-  
rationibus divinis, ne graves pro  
peccatorum suorum merito, pro  
imperfectiõibus, pro exigua  
proficiendi in via perfectionis  
cura, pœnas exsoluere cogatur. 3.  
ingens Tepiditatis & pigritiæ  
odium, rerum item terrenarum,  
quæ hominem à Deo abducunt;  
nec non sui ipsius, & propriarum  
commoditatum. 4. fervens de-  
siderium mortificandi corpus,  
sensus, passiones, honorem, &c.  
ut sese omnibus subijciat, se ip-  
sum vilissimum reputet, atque  
ab alijs quoque talis reputari ve-  
lit. pro iis vero personis, quæ  
*viæ illuminatiæ* insistent, esse

possunt sequentes. 1. flagrans  
 amor omnium virtutum, 2. ve-  
 hemens desiderium illas acqui-  
 rendi. 3. accensa cupiditas per-  
 sonam & divinissimas actiones  
 verbi incarnati benè cognoscen-  
 di, & pro posse imitandi. 4. spes  
 firma Deo placendi, mediante  
 ipsius gratiâ perfectionem con-  
 sequendi, in benè cœptis & suâ  
 vocatione perseverandi, ab omni  
 imperfectionis & defectus novo  
 sese expediendi, æternam beati-  
 tudinem consequendi. &c. 5.  
 Sancta quædam tristitia, & com-  
 passio ob ea quæ Christus Do-  
 minus amore nostri & passus,  
 ob cæcitatem proximorum, qui  
 divinam suam Majestatem in

tam multis offendunt. pro iis  
qui *via unitiva* attendunt. 1. ex-  
celsivus quidam Dei Amor, 2.  
spirituale quoddam gaudium &  
exultatio ob infinitas divitias &  
perfectiones S. D. Maiestatis, ob  
honorem qui à bonis illi exhibe-  
tur, ob cognitionem, quam infi-  
deles de illa assequuntur, &c. 3.  
grandis lætitia ob gloriam &  
beatitudinem Christi à mortuis  
resuscitati, & tanto plausu, tanta  
majestate in cœlos assumpti. Ob  
signa caritatis divinæ in homi-  
nes transfusæ, ob tanta & tam  
varia beneficia amicis Dei Com-  
municata. &c. 5. vehemens desi-  
derium, ut nomen Dei Sanctifi-  
cetur, ut in animas universas

abique ulla contradictione imperium ipse obtineat, ut Sanctissima eius voluntas ita fiat in terris, sicut fit in caelis. Et alia huiusmodi, quæ unctio S. Spiritus docebit, dummodo se ipse per ingens desiderium, & necessariam ad ea recipienda humilitatem disponat: Neque tamen idcirco minus diligentia propria adhibebit, ut affectus aliquis ex supra dictis vel aliis excitetur, & quantum fieri poterit dilateretur, tum ad maiorem animæ suæ consolationem, tum ad copiosorem fructum in ordine ad operandum pro Dei honore & gloria consequendum.

*Motiva voluntati, ut bonum amplectatur, proponenda.*

**A**ffectus itaque excitabit, voluntati ea motiva proponendo, quæ ad movendum ipsam videbuntur idonea, & pro varietate rerum amplectendarum, aut fugiendarum, solent esse varia; quamvis in genere loquendo reduci possunt ad capita sequentia. Quando scilicet intellectus concludit amplectendam esse virtutem aliquam, aut aliud quid ad perfectionem spectans, simul voluntati proponat: I. pulchritudinem illius virtutis, ostendendo naturâ suâ dignam ef-



se quam amplectatur. 2. necessi-  
tatem quam habet illius virtutis,  
sive ut statui suo respondeat,  
sive ut pacem & plenam animæ  
quietem acquirat, sive ut cum  
majori perfectionis gradu salvus  
fiat. &c. 3. utilitatem, quam se-  
cum afferet, sive ad propriam si-  
ve ad proximi perfectionem, sive  
ad gratiam aliaque dona cœlestia  
in hac vitâ, sive ad multos gradus  
gloriæ in futura obtinendos, 4.  
delectationem spiritualem, quæ  
ex eius complexu, atque exerci-  
tatione consequetur, quæ quan-  
doque etiam in ipsos corporis  
sensus redundabit, aut certè sin-  
gulari quodam modo mentem  
afficiet, 5. decus, quod ipsi stu-

dium

dium exercitiumque virtutis illius pariet, non solum coram Deo in cœlis, sed etiam coram hominibus in terris, qui non possunt non laudare & probare virtutem, ubicunque viderint. 6. gaudium quod causabit in Angelis, qui utpote pleni caritate in Deum, & homines, vehementer gaudent, videntes quod homines simul in virtute proficiant, & hac ratione, gloriam divinæ Majestatis amplificent, 7. displicentiam quam in Dæmone causabit, quia hic ferre non potest, ab hominibus ad ipsorum utilitatem pro Dei gloriâ virtutes exerceri, tam propter odium capitale, quo quidem Deum prosequi-

tur, quod ab eo pro merito superbiae suae severè sit punitus; homines verò, quod eò ascendere contendant unde ipse meritò pulsus fuit. §. exemplum Christi. B. Virginis, & Sanctorum, sive ex mysterio praesenti, quod medietur, sive ex aliis aliàs consideratis vel considerandis collectum: E. G. post lumen hoc ex primo modo discurrendi supra dicto collectum, scilicet quod ad imitationem Dei, qui quantumvis ab hominibus independens, eos tamen benignè respicere dignatur, debeat etiam ipse oculos animae suae frequenter ad Deum per actus amoris elevare, licet per impossibile ab eo planè independens

dens

dens esset; proponet voluntati ad excitandum in cā huius rei desiderium, motiva sequentia, itā loquendo: Et nonne pulchrum est, elevare frequenter mentem ad illum Dominum, qui eandem donavit? pulchrum visu est, aspicere filium suos à patre nusquam obcutus detorquentem, pulchrum aspicere aviculam, vel animantem quamvis, oculos in Matrem semper desigentem, pulchrum videre Discipulum, oculos suos ad Magistrum elevantem, & militem sæpè Ducem suum respicientem. Dominus Deus ipse est pater noster, Mater nostra, Magister noster, Dux noster, quomodo ergo nō erit pulcherrimum tot titulis mentem frequenter ad ipsum elevare? hūc adjungamus

quod

quod nobis planè necessarium sit hoc  
facere, licet ab eo non dependeremus,  
quia nihilominus ipse est Deus, id est,  
perfectissima natura, quæ potest ex-  
cogitari, ego autem sum miser homo,  
& mille imperfectionibus plenus, &  
ipsa ratio postulat, ut inferiora hæc,  
& minus perfecta recognoscant, quæ  
sunt superiora, & magis perfecta.  
Iam verò quomodo melius illum per-  
fectissimum agnoscere poterimus,  
quàm mentem nostram per oratio-  
nem & frequentes actus amoris &  
ipsum elevando? quis verò satis intel-  
ligat, quantam nobis hoc exercitium  
utilitatem, si benè & frequenter fiat,  
ut debet, sit allaturum! si Dæmon nos  
suis tentationibus fortiter aggredia-  
tur, & de statu nostro movere nos, at-

que in terram deicere conetur, ubi oculos nostros ad Deum converterimus, assistet nobis, adeoque stabiliet, ut nec latum unguem loco moveamur, quod propheta sibi accidisse testatur, dum ait: providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear, si suis nos laqueis capiat. Demon antequam advertamus, levando oculos a Deo ex illis eripiemur; oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. si nos fames sive corporalis, sive spiritualis invadat, levando oculos ad Deum abundantissimè satiabimur: oculi omnium in te sperant Domine, & tu dabis illis escam in tempore opportuno si nos aut cœlestis luminis aut gratiæ

specialis indigentia premat, elevando nos & ipsum accedendo, certo consequemur: accedite ad eum & illuminamini, & facies vestrae non confundentur; delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui: qui ad alienam patriam proficisci cogitat, magnam capiet utilitatem, si in sua ipse patriam illius linguam addiscat, & nos qui ad caelum pervenire intendimus, cur adhuc in terra constituti non addiscamus oculos mentis levare ad Deum, in quem eosdem, ubi eo pervenerimus per totam aeternitatem defigemus? verum ponamus nullam hinc nobis utilitatem provenire, quam incundum est oculos in rem omnium qua inveniri possunt aut excogitari omnino pulcherrimam atque elegan-

tissimam defigere, & veluti in font.  
inexhausto deliciarum omnium men-  
tis herere obtuto? quàm honorificum  
est ad aspectum illius pototypi omnis  
pulchritudinis admitti, quod qui con-  
tinuo aspicit, aut Deus est, aut Ange-  
lus, aut sanctus quantam affert volu-  
ptatem beatis illis spiritibus, qui sicut  
semper ipsi respiciunt ac benedicunt  
Deum, ita ut hoc ipsum ab omnibus  
creaturis, rationalibus præsertim præ-  
stetur, vehementer exoptant? quan-  
tam Dæmonibus pœnam, qui cupe-  
rent, nullo à nobis unquam actu Deū  
agnosci & coli? & nihilominus licet  
aliæ deessent rationes, nonne bonum  
est mentem ad Deum frequenter ele-  
vare, vel ob hoc solū, ut quis egrè  
faciat crudeli isti adversario, qui ag.

noscer e



noscere Deum creatorem suum noluit,  
 nec se illi subiicere! quam denique ra-  
 tioni consentaneum est verbum incar-  
 natum imitari, de quo legitur, quod  
 frequenter oculos, non tantum men-  
 tis sed etiam corporis ad coelum leva-  
 rit, ut ad patrem sese erigeret, quam-  
 vis nullâ ratione indigeret, & sanctos,  
 qui identidem oculos levando ad coe-  
 lum se totqs cum Deo uniebant, ter-  
 ram verò velut sordidam despicie-  
 bant?

*Motiva ad malum fugiendum.*

**Q**Uando autem lumen intel-  
 lectus concludet vitium a-  
 liquod, vel aliam imperfectio-  
 nem esse fugiendam, simul moti-

va superioribus contraria voluntati proponet: nimirum *primò* vitii turpitudinem. *secundò* ejus fugiendi obligationem, *tertiò* damna quæ secum afferet, pro hoc & futuro sæculo, nisi fugiatur. *quartò* quantas amaritudines pariat etiam in hac vitâ. *quintò* dedecus quod ordinariè secum trahit, licet repræsentetur, ut honorificum. *sextò* quantam ex illo Angeli, nostro loquendi modo, capiant displicentiam; *septimò* quantam Dæmones voluptatem. *octavò* exemplum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, qui verbis detestati sunt, & factis non aliter ac pestem exitialem quandam fugerunt E. G. post lumen illud

in secundo discurrendi modo  
declarato supra collectum, scilicet  
exemplo verbi, carnem huma-  
nam assumpturi, quod ad effugi-  
endam omnem peccati umbram  
ex virgine sola, absque commix-  
tione viri, concipi voluit, debere  
etiam se omnia peccati pericula,  
& umbras fugere, ut in volunta-  
te detestationem peccati, & peri-  
culorum peccandi excitet, sub-  
junget motiva sequentia, & dicit  
hoc modo. *Quid dico convenientius  
esse, ut etiam umbras peccatorum fu-  
giamus? imo est, planè necessarium.  
nonnè ratione status nostri, in quo vi-  
vimus, & boni iudicamur, obligati  
sumus modò securi esse velimus, &  
proximum non scandalizare ) ad*

*omnem*

omnem diligentiam huic negotio impendendam? deinde quam turpe est, non solum in peccato reperiri, sed etiam in periculo peccati, vel eius umbrâ versari? sponsa fidelis & honesta, non solum in personâ suâ nihil debet permittere inhonestum, sed & cavere ne alii de ipsâ quicquam tale suspicari audeant. Nos sponsa Dei sumus, ipse nos castas & honestas esse vult: necesse ergo habemus, vel ipsas peccatorum umbras fugere, quæ possunt alioquin honestatem nostram in suspicionem adducere. Neque pauca vel levia sunt damna quæ incurremus, nisi vel umbras peccatorum fugiamus: sicut enim primò umbræ corporales semper corpus aliquod supponunt, sic hæc umbræ peccatorum plerunque habent velut

originem suam corpus aliquod peccati: deinde dum causant, ut ab aliis peccatores iudicemur, minoris aestimamur, & consequenter quia apud illos in parva estimatione sumus, leve ducimus, etiam illa in ipsorum conspectu committere, quae non decet. His adiungi debet, quod apud illos, quibus peccatores videmur ex eo quod umbras peccatorum non vitemus, nequaquam fructum illum facere possimus, quem faceremus, si nos crederent pios esse, & ab omni imperfectione alienos, propter quod & minus gratiae promeremur in hac vita, & minus gloriae in futura, eo quod non eam diligentiam, quam deberemus, salutem, & bonum proximi procuremus. quantas praeterea nobis amaritudines creant,

hæ ipse peccatorum umbra, quantum  
vis sint merissima umbra, dum ad ver-  
tuntur non haberi nos passim, quales  
sumus, adeoque præcludi nobis ad pro-  
ximi ædificationem & auxiliun-  
viam? quanto nobis sunt dedecori-  
dum causant, ut imperfecti habea-  
mur, & homines suis obligationibus,  
auxiliumque à divinâ benignitate lar-  
gè participatis parum respondentem:  
quàm vehementer contristamus An-  
gelos sanctos, & speciatim tutelarem  
nostrum, cuius unicum est desiderium,  
videre nos in puritate animæ sibi  
quam simillimos, & à peccato quovis  
remotissimos, affligitur. & ut sic di-  
cam plorat, quod non omninò liberos  
ab hac imperfectione cernat? quàm è  
contrà letificamus diabolos? quibus

certe nullam gaudii occasionem prae-  
bere deberemus ; quantumvis enim  
verè non peccemus peccato tamen vi-  
cini sumus ; dumque tales nos non fu-  
giendo peccatorum umbras exhibe-  
mus , ut minimum non totum hoc bo-  
num facimus , quod illas studiosè fu-  
giendo faceremus , Idcirco Christus  
Dominus , quamvis contentus fuerit  
videri tanquam in originali peccato  
conceptus , aliorum more subiiciendo  
se circumcissioni ; cavuit nihilominus , ne  
quid committeret , unde cum funda-  
mento peccator voluntarius videri  
posset . quamobrem & Ierosolymam  
ad solennitates ordinarias itare vo-  
luit , & agnum paschalem manduca-  
re , & tributum Cesari pendere , &

alia huiusmodi prestare, ad qua non tenebatur, ne forte vel suspicionem minimam alicuius peccati praberet; propterea & Virgo B<sup>ma</sup> parere voluit Augusti Caesaris edicto, tempore ob exspectationem partus tam incommodo; voluit & purificandam se sistere in templo, quantumvis purissima; voluit in civitate sancta ad precipuas solennitates comparere, &c. propterea sancti Martyres, licet fortasse quadam illorum que à Tyrannis exigebantur absque offensâ Dei fieri potuissent, nihil tamen facere voluerunt, ne ulli occasionem suspicandi praberent, quasi peccatum aliquod commisissent, &c. Postquam hiscè motivis excitaverit in voluntate affectus illos quos optavit, vel saltem tentave-



in illos excitare, poterit deinde aut eosdem dilatare, aut movere aliquo ex modis sequentibus, ut placuerit, nunc ab hoc nunc ab illo initium faciendo, pro majori vel minori connexionem, quam præ reliquis habet cum lumine intellectus.

*Motiva coniuncta cum modis excitandi Affectus.*

**A**Dvertendum tamen hoc loco, quod licet motiva superius allata ordinariè sint voluntati proponenda, ut iam diximus, antequam deveniatur ad modo dilatandi, & continuandi affectus, nihilominus cum aliquo

ex his modis, prout meditati  
commodum videbitur, permis-  
ceri poterunt, E. G. si post secun-  
dum lumen primi discursus su-  
pra adducti, ex quo colligebatur,  
hominem debere ex caritate re-  
spicere proximum, ut videat an  
aliquam necessitatem patiatur,  
uti vellet modo illo quem *Admi-  
rationem* dicimus, eidem motiva  
superius adducta permiscere po-  
terit hac ratione. Et quomodo est  
possibile, ut ego, qui citrà omne  
meum meritum tantâ à Deo carita-  
te respicior, adhuc æquè me durum  
ergà talem proximum meum exhi-  
beam? & quomodo est possibile, ut post  
tot inspirationes adhuc pectus omni  
ergà illum compassioni clausum ser-

vem? & tamen nihil in orbe pulchrius reperiri potest, quam optimo illi omnium Patri Deo assimilari, qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & fieri potest, cum sim homo sicut proximus meus, ut in eandem necessitatem incidam in qua ipse modo reperitur, & ipse e contra meam fortunam assequatur, quo casu non minus ipsius ope indigerem, quam ipse nunc meâ, necessarium ergo est ut viscera misericordie illi pandam, & quomodo obsecro tam serò hanc veritatem cognovi, tamque parum huc usque illi me benignum præbere potui, an fortè nihil inde boni obventurum erat, unde non spirituale modo commodum, ingens scilicet meritum apud Deum, sed etiam tempo-

rale

rale collegissem, quippe & longe facilius à Deo desiderata omnia impetrassem, & proximum ipsum ad omne obsequium paratissimum habuissem; præterquam quòd sicut alias opera quedam bona, licet Deo minus grata quam hoc, quia minora, faciendo, magnum semper gustum, & consolationem spiritualem percepi; ita prorsus mihi persuadeo, multò me maiorem ex hoc opere fuisse percepturum. & quomodo est possibile, ut neque hoc, neque aliud quicquam satis me ad satisfaciendum obligationi meæ me permoveat? vel bruta animantia si necessitatem hanc agnovissent, signa compassionis dedissent, & ego silice durior nullâ re propositâ movearè nihil magis à me Angeli boni

exspectant, quàm ut exerceam actus  
 Caritatis, nihil magis metuumt per  
 versi quam ne exerceam, cur ergo tum  
 ut illos hoc gaudio afficiam; tum ut  
 hos mœrore cruciem opus tam pium  
 & laudabile non aggredior? nihil in  
 vitâ Nostri Salvatoris ita elucet, ut  
 promptitudo succurrendi miseris,  
 quando eos & circumoundo quere-  
 bat, ut haberet quibus benefaceret.  
 Certè cœco iuxtâ viam versus Iericho  
 clamanti ipse obviam processit; locum  
 ubi cœcus ille natus sedebat, transire  
 voluit; decem leprosis ultrò se stitit: ad  
 portas Civitatis Naim ultro propera-  
 vit, ut filium viduæ resuscitaret;  
 Samaritanam ad fontem Iacob  
 sedens expectavit; summa, sem-

per in hoc intentus fuit, ut necessitati-  
bus proximi, sive corporalibus, sive  
spiritualibus subveniret. & ego huc  
usque dum nihil horum praesto, specio-  
so tamen nomine imitatoris Christi  
gloriarı audeo? &c. pari quoque  
ratione, in aliis modis procedere  
poterit, quotiescunque voluerit,  
vel se ad hoc impelli senserit, post  
discursum aliquem intellectus,  
circa conditiones nonnullas per-  
sonarum, verborum, vel actio-  
num, ut supra dictum.

*Modi excitandi continuandi, & di-  
larandi Affectus.*

**H** Actenus de motivis ad af-  
fectus, quos optamus, in

volun-

voluntate excitandos aptis, diximus, nunc modos eosdem continuandi, dilatandi, & si opus fuerit, de novo suscitandi exponemus, numero sat magno, & ordine alphabetico, ut qui non sentit facilitatem in uno, altero utatur, & memoriæ magis consulatur; præsertim cum ex bono vel malo illorum usu magnam partem dependeat, ut quantum ad humanam spectat industriam, & suscitantur & conserventur affectus tempore meditationis.

Primus est *Affirmationis*, modo affirmando Deum esse magnum, & terribilem, ideoque metuendum. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super*

omnem terram. modò esse amato-  
rem suum, à quo sit regendus.  
Quoniam hic est Deus, Deus noster in  
aeternum, & in saeculum saeculi: ipse re-  
get nos in saecula. alias beatum esse,  
quem ad suum ministerium vo-  
cavit Deus. Beatus quem elegisti &  
assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.  
alias felicem esse qui Deum ha-  
beat Dominam suam & adjuto-  
rem: Beata gens cuius est Dominus  
Deus eius, populus quem elegit in hæ-  
reditatem sibi. beatus cuius Deus Ia-  
cob adiutor eius, spes eius in Domino  
Deo ipse. alias justè puniri, qui  
peccavit: Iustus es Domine, & re-  
ctum iudicium tuum: omnia quæ in-  
cuxisti super nos, & universa quæ fe-  
cisti nobis, in vero iudicio fecisti, in ve-



ritate & in iudicio induxisti omnia  
 hac propter peccata nostra. alias alia  
 affirmando sive de divinis perfe-  
 ctionibus, sive de imperfectioni-  
 bus propriis, sive de pulchritudi-  
 ne virtutum, sive de turpitudine  
 vitiorum, sive de magnitudine  
 præmiorum, sive de gravitate  
 pœnarum, &c.

Secundus est *Admirationis*,  
 nunc admirando bonitatem, pa-  
 tientiam, caritatem, Nomen, po-  
 tentiam Dei: Domine Dominus no-  
 ster, quam admirabile est nomen tuum  
 in universâ terrâ? Domine Deus vir-  
 tutum quis similis tibi? potens es Do-  
 mine, & veritas tua in circuitu tuo.  
 nunc propriam tepiditatem, ne-  
 gligentiam; &c. nunc contem-

ptum tot sibi oblatorum a Deo  
favorum & gratiarum, &c. nunc  
tam parvi aestimatas à se tot, tam-  
que manifestas Dei inspirationes  
& superfluum in eis examinan-  
discuram: *Quamdiu ponam consilia  
in anima mea? nunc multitudinem  
& frequentiam tentationum,*  
quæ pacem turbant, & profe-  
ctum impediunt, quærentes pro-  
sternere hominem. *Quo usque ir-  
ruitis in hominem? interficitis uni-  
versos, tanquam parviti inclinatos,  
& maceria depulsa! nunc alia, &c.*

Tertius benedictionis, benedi-  
cendo Deum, quia exaudit ora-  
tionem, & misericordiam exhi-  
bet. *Benedictus Dominus, qui non  
amovit orationem meam & miseri-*

cordiam suam à me, quia mirabilia operatur: Benedictus Dominus, Deus Israel, qui facit mirabilia Magna solus; quia visitat atque ex captivitate liberat servos suos. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suae, quia adjuvabit in viâ salutis. Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, quia docet contra hostes spirituales pugnare. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, &c. quia munera largitur, condonat peccata, &c.

Quartus est, Communicationis, quasi consilium apud Deum quærendo, ad cognoscendum aliquid ab ipso, V. G. quis sit ad

cælum

caelum perventurus. Domine quis habitabit in tabernaculo tue? aut quis requiescet in monte sancto tuo? quid possit Deo præstare obsequium. Quid faciam tibi O custos hominum? quid gratitudinis loco exhibere, Quid retribuam tibi pro omnibus, qua retribuisti mihi! quidnam possit respondere in die iudicii. Quid faciam cum surrexeris ad iudicandum Deus? & cum quaesieris, quid respondebo tibi? quam ratione domare possit proprias passiones, habitus vitiorum extirpare, talem vel talem virtutem exercere &c. & hoc fieri poterit per modum Dialogi; ac si Deus factis sibi interrogationibus responderet, & dum novus homo quaestio-

nes proponit nova quoque Deus  
responſa tribuat, &c.

Quintus est *Confessionis*, ſive  
quod à Deo exauditus dona peti-  
ta obtinuerit. *Quoniam tu Deus  
meus exaudiſti orationem meam.  
Quod ad dignoſcendum bonum  
& malum lumen impetrarit.  
Quoniam tu illuminas lucernam  
meam Domine. Quod Dux, ſpes  
fortitudo in viâ ſalutis ipſi fuerit:  
Dum anxietur cor meum deduxiſti  
me quia factus es ſpes mea, turris for-  
titudinis à facie inimici. ſive pro-  
prietarum miſeriarum; Non eſt ſa-  
nitas in carne mea, quoniam iniqui-  
tates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum,  
Circumdederunt me mala, quorum  
non eſt numerus, quoniam iniquita-*

tem meam ego cognosco, sive millies infernum se promeruisse; ne nimiam quidem gratiam dignum esse: illustrationibus atque auxilijs divinis non respondere, non apprehendere se nec intelligere ut deberet, in quo verum bonum consistat: omnes potentias suas destructas esse &c.

Sextus est, *Confortationis*, confortando animam ut expectet Dominum, si quando venire tardet. *Expecta Dominum, & custodiam eius, & exaltabit te, ut hereditate capiat terram: si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. ut speret in Deo. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam*

adhuc confitebor illi. ut cum patientiâ labores, & desolationes suscipiat, exemplum Christi & Sanctorum adducendo, atque ostendendo, non fore ut à Deo deseratur. Nunquid in eternum proiciet Deus! aut non apponet ut complacitior sit adhuc, aut obliviscetur misereri Deus? &c.

Septimus est Detestationis, pigritiam propriam, peccata, & imperfectiones detestando: Non veniat mihi pes superbie, & manus peccatoris non moveat me; iniquitatem odio habui & abominatus sum: conventus malignorum. odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei: discedi-

te à me omnes, qui operamini iniquitatem, obiecta à Dæmone proposita, ut honores & dignitates mundanas, carnis delicias, omnia quæ non sunt Deus, nec ad Deum spectant contemnendo. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.

Octavus Dubitationis, dubitando apud semetipsum quid tandem faciendum? amplectendumne objectum aliquod, vel fugiendum? quale de se supplicium sumere debeat, quod par esse possit negligentia suæ circa bonum commissæ: quid à Deo expectare auxiliij, cui tam malè servivit: ecquisnam salvari pos-



fit, si tam rigide procedatur, & tam pauci suæ obligationi satisfaciant: *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi? à quo expectandus sibi necessarius ad resistendum hostilibus impugnationibus succursus. Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? à quo in locum aliquè securum fit deducendus. Quis deducet me in civitatem munitam? à quo in cœlum elevandus. Quis dabit mihi pennas sicut columbe, & volabo, & requiescam? à quo gratiam ad cognoscendum & inveniendum Deum impetraturus. Quis mihi tribuat, ut cognoscam &*

Inveniam illum, & veniam usque ad  
solum eius?

Nonus est exhortationis, seme-  
t ipsum exhortando, ut necessita-  
tes suas Deo aperiat: Revela Do-  
mino viam tuam, & spera in eo, &  
ipse faciet. Strenue se gerat. Virili-  
ter age, & confortetur cor tuum, &  
sustine Dominum. ut delectatio-  
nem in Deo quærat. Delectare in  
Domino, & dabit tibi petitiones cor-  
dis tui. ut bonum operetur, & in  
statu suo, si bonus sit, constanter  
perseveret; Spera in Deo & fac bo-  
nitatem & inhabita terram, & pas-  
ceris in divitiis eius. ut omnem  
suam cogitationem in Deo defi-  
gat. Iacta super Dominum curam  
tuam, & ipse te eruet. ut quæ-

cunque ad perfectionem perti-  
nent, quantumvis difficilia & la-  
boriosa libenter amplectatur; ut  
cum Deo ceteris officijs & servi-  
tjs, dum continuis ab illo affici-  
tur beneficijs. &c.

Decimus est *Fiducia*, confiden-  
do in Deo, quod vires hostium  
sit debellaturus; *Non timebo millia  
populi circumdantis me: quoniam tu  
percussisti omnes adversantes mihi.  
Dominus illuminatio & salus mea  
quem timebo? in te inimicos nostros  
ventilabimus cornu, & in nomine  
tuo spernemus insurgentes in nobis.  
quod iram aliquando sit deposi-  
turus, nec minas semper intenta-  
tus. Non in perpetuum irascetur  
neque in eternum comminabitur.*

Quod

Quod vires ad superandas qual-  
vis etiam gravissimas difficulta-  
tes sit daturus; *in te eripiar à tenta-  
tione; & in Deo meo transgrediar  
murum.* quod necessaria quævis  
media sit subministraturus, in-  
tellectum illuminaturus, volun-  
tatem inflammaturus, robur ad  
bonum exequendum potentijs  
collaturus: &c. interdum etiam  
audendo quasi confidere in pro-  
pria conscientia, ut in qua nil ma-  
li experiatur quod remordeat.  
*Domine Deus meus; si feci istud, si est  
iniquitas in manibus meis &c. si ab-  
scondi quasi homo peccatum meum,  
& celavi in sinu meo iniquitatem  
neam: si ambulavi in vanitate, &  
festinavit in dolo pes meus: si declina-*

*ut gressus meus de via, & si secretum  
est oculos meos cor meum, & sim  
manibus meis adhaesit macula &c.*

Undecimus est *Gratitudinis*,  
inquirendo quomodo possit cō-  
pensare aliquatenus saltem divi-  
na beneficia: *Quid retribuam Do-  
mino pro omnibus, quae retribuit mi-  
hi: narrando alijs beneficia à Deo  
accepta. Venite, audite, & narrabo  
omnes, qui timetis Deum, quanta fe-  
cit Dominus anima mea. ostenden-  
do quod illius beneficia in æter-  
num simus commemoraturi. Mi-  
sericordias Domini in aeternum can-  
tabo: in generatione, & generationem  
annuntiabo veritatem tuam in ore  
meo; ut in hoc ab amicis adiuve-  
tur, gratanter eos invitando:*

*Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. optimum iudicando, si quis in laudando Deo benefactore suo occupetur: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. desiderando maiorem commoditatem ipsum celebrandi: Repletur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. palam confitendo, non esse se sufficientem, ut pro tam multis, tamque præclaris Dei donis satis se gratum exhibeat.*

*Undecimus est Humiliatio nis, vilem se æstimando: Ego autem sum vermis, & non homo: oppro-*

*brium*

*brium hominum, & abiectio plebis, confitendo paupertatem suam, Ego autem mendicus sum, & pauper. &c. de propria fortitudine & viribus diffidendo: Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: ad nihilum se suum reducendo: Ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. tribulationes quas patitur proprijs defectibus adscribendo: priusquam humiliarer ego deliqui. bonum sibi esse iudicando, quod humiliatus fuerit: Bonum mihi, quia humiliasti me, indignum se reputando, qui ad conspectum Dei admittatur, qui illuminetur, qui in oratione affectus sensibiles experiatur, qui consolationibus visiteretur. &c.*

Decimus tertius *Invitationis*  
*Dei, ne sui obliviscatur: Exurge*  
*Domine Deus; exaltetur manus tua:*  
*ne obliviscaris pauperum, ut citò ve-*  
*niat, Veni Domine, & noli tardare,*  
*ut animam visitet. Deus virtutum*  
*convertere: respice de cælo, & visita*  
*vineam istam, ut ex periculis eripiat.*  
*Excita Domine potentiam tuam, &*  
*veni, ut salvum facias me. Creatu-*  
*rarum omnium, ut Deum laudent,*  
*& benedicant. Benedicite omnia*  
*opera Domini Domino: laudate &*  
*superexaltate eum in secula. Animæ*  
*sue, ut virtuti se dedat, ut memor*  
*sit Dei, cæli, sui ipsius; ut ad Deum*  
*tanquam centrum suum se con-*  
*vertat. Convertere anima mea in re-*  
*quiem tuam, quia Dominus benefecit*

*tibi.*



tibi. Angelorum, hominum, creaturarū omnium, ut veniant & videant, quam turpiter ipse animam suam maculaverit; quam perversa, & statu suo indigna opera fecerit &c. quam profundè se Deus propter hominem humiliaverit, quousque Regem gloriæ imperfectiones & peccata nostra deduxerint; quam malè illum tractaverint &c. ut ipsum iuvent, quatenus ex parte saltem debito suo satisfacere & pro tam multis gratiarum donis, quæ à divina bonitate tam liberali manu accepit, respondere valeat.

Decimus quartus est *Laudationis*, exaltando potentiam & sapientiam Dei *Magnus Dominus*

*noster,*

noster, & magna virtus eius, & Sapientia eius non est numerus. præcellentiam operum eius. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. infinitam eius misericordiam: Misericors, & miserator Dominus, patiens & multum misericors: suavis Dominus universis: & miserationes eius super omnia opera eius. Iustitiam eius & æquitatem: Quoniam rectus Dominus, & non est iniquitas in eo, extollendo continuã illam Angelorum in laudando Deo occupationem, eorundemque in obediendo promptitudinem: de prædicando caritatem Apostolorum, patientiam & fortitudinem Martyrum, perseverantiam, & Constantiam in bo-

no Confessorum, puritatem Vir-  
ginum, pœnitentiam & solitudi-  
nem Anachoretarum, quorum  
comparatione ipse hactenus ni-  
hil statu suo dignum, nihil tot  
gratiarum donis proportiona-  
tum egit &c.

Decimus quintus est *Com-Mi-  
nationis*, sibi ipsi, sive Dei, sive pro-  
prio nomine pœnam aliquam  
comminando, quia non facit  
quod debet, nec serio aliquando  
se convertit. *Nisi conversus fueris,  
gladium suum vibrabit, arcum suum  
tetendit & paravit illum, &c.* intel-  
lectui quia curiosus; voluntati  
quia terrenorum amans; memo-  
riæ, quia Dei immemor. *Intellige  
hæc, quæ oblivisceris Deum, ne quando*

*rapiat,*

rapiat, & non sit qui eripiat. phan-  
tasiæ quia vaga; oculis quia im-  
modesti & incompositi, linguæ,  
quia præceps & dolosa: Dilexisti  
omnia verba precipitationis lingua  
dolosa; propterea Deus destruet te in  
finem; evellet te. &c. summa omni-  
bus potentijs & sensibus, quia  
non se totos divino impendunt  
obsequio, Deum quasi rogando,  
ut illos puniat. Decimus sextus  
est Narrationis, narrando quid  
pro Deo fecerit. Annuntiavi iusti-  
tiam tuam in Ecclesia magna, &c.  
Iustitiam tuam non abscondi in corde  
meo. veritatem tuam & Salutare  
tuum dixi. Constantiam in adver-  
sitatibus conservatam. Dedisti nos  
tanquam oves escarum &c. posuisti

nos opprobrium vicinis nostris. &c.  
 hac omnia venerunt super nos, nec ob-  
 liti sumus te. &c. & non recessit re-  
 tro cor nostrum. &c. quæ alias sibi  
 Deus præstitit. Deus docuisti me à  
 iuventute mea. & usque nunc pro-  
 nunciabo mirabilia tua quæ alijs in  
 ipso confidentibus Deus præsti-  
 tit: In te speraverunt patres nostri:  
 speraverunt & liberasti eos: ad te cla-  
 maverunt, & salvi facti sunt: in te  
 speraverunt, & non sunt confusi sin-  
 gulariter illa quæ idiotis, ætate,  
 sexu, viribus infirmis &c. contu-  
 lit, perfectè illos instruendo, &  
 vires ad multa ardua & præclara  
 opera virtutis suppeditando.  
 &c.

Decimus septimus Negationis

audiri.

neganda

negando se commisisse illud,  
propter quod Deus videtur  
nolle exaudire preces ipsius V. G.  
malæ Societati adhæsisse: *Non sedi  
cum concilio vanitatis, & cum iniqua  
gerentibus non introiui: non habita-  
vit in medio domus meæ qui facit su-  
perbiam: qui loquitur iniqua non di-  
rexit in conspectu oculorum meorum.  
protestando non habere se illam  
vitæ sanctitatem, nec passiones  
aut carnem ita subjectas, ut fortè  
alijs videtur. Non est Sanitas in car-  
ne mea, non est pax osibus meis &c.  
non tacuisse misericordiam Do-  
mini, cum de eâ loquendum es-  
set, Non abscondi misericordiam  
tuam & veritatem tuam à concilio  
multo. non confidere proprijs vi-  
ribus*

ridus ac ingultra: Non enim in ar-  
cu meo sperabo, & gladius meus non  
salvabit me. non commisisse se de-  
lictum aliquod, unde pœnam  
mereatur. Neque iniquitas mea ne-  
que peccatum meum, Domine, sine  
iniquitate cucurri & direxi. non ha-  
buissete malam intentionem.  
Non proponebam ante oculos meos  
rem iniustam: non adhesit mihi cor  
pravum. &c. non fuisse sibi infli-  
ctam pœnam delictis parenti.  
Non secundum peccata mea fecit mi-  
hi, neque secundum iniquitates meas  
retribuit mihi. non esse se ullo ho-  
nore vel gloria dignum: Non mi-  
hi Domine, non mihi, sed nomini tuo  
da gloriam non magnificè de seip-  
so sensisse, nec in corde se aliis

præpotuisse: Domine non est exal-  
tatum cor meum neque elati sunt o-  
culi mei. Neque ambulavi in magnis  
neque in mirabilibus super me. non  
se obligationi suæ satisfecisse,  
prout aliquibus forte videtur  
&c.

Decimus octavus est Oblatio-  
nis, totum se Deo in servum of-  
ferendo: O Domine quia ego servus  
tuus, & filius ancilla tuæ suscipe ser-  
vum tuum in bonum. Suscipe me se-  
cundum eloquium tuum, & non con-  
fundas me ab expectatione meâ. ut  
iumentum ad omne obsequium  
divinæ Maiestati præstandum  
semper fore paratum: ut iumen-  
tum factus sum apud te, & ego sem-  
per tecum, omnia sua Deo offe-

K

rendo,



rendo, intellectum, memoriam, voluntatem, cor, linguam, operationem, &c. monstrando se promptum ad exequendū, quidquid in & extrā illam meditationem Deus illi ostenderit: propensum se exhibendo ad imitandum Christum Dominum quantum erit possibile; ad sustinendum quidvis pro amore Dei sui &c. *Quoniam ego in flagella paratus sum: Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire, ad inquirendum omnia media ipsi placendi, & præcepta eius observandi. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Decimus novus est Obsecratio

nis, instanter à Deo per immen-  
sum eius amorem & misericor-  
diam postulando, ut illos affe-  
ctus, & dona, gratiæ largiatur,  
quæ sive ad propriam sive proxi-  
morum utilitatem desiderat.  
Convertere Domine, & eripe ani-  
mam meam: saluum me fac propter  
misericordiam tuam, Exaudi me Do-  
mine, quoniam benigna est misericor-  
dia tua. Secundum multitudinem  
miserationum tuarum respice in me.  
Secundum misericordiam tuam me-  
mento mei tu propter bonitatem tu-  
am, Domine: per sanctissimum &  
ineffabile nomen eius: propter no-  
men tuum Domine, propitiaberis pec-  
cato meo, multum est enim. Adiuva  
nos Deus Salutaris noster, & propter

gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. &c. per gratissima dilectissimi filij eius merita. Respice in faciem Christi tui. per puritatem & Sanctitatem Beatissimæ Virginis & alia huiusmodi, quorum respectu existimat movendum Deum, ut quod petit ipse, concedat.

Vigesimus est, petitionis, simplicis quidem, sed tamen ferventis, petendo pro se & alijs favores omnes, quos desiderat. E. G. modo petendo ut exaudiat. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe. modo ut succurrat. intende in adiutorium meum, Domine Deus salutaris

mea.

mea. modò ut illuminet. Illumina  
oculos meos ne unquam obdormiam  
in morte. Emitte lucem tuam, & ve-  
ritatem tuam. modò ut cor & spi-  
ritum ipsius renovet: Cor mun-  
dum crea in me Deus, & Spiritum  
rectum innova in visceribus meis:  
modò ut gressus suos in viam sa-  
lutis dirigat. Dirige in conspectu tuo  
viam meam, dirige me in veritate  
tuâ, & doce me. Legem pone mihi  
Domine in viâ tuâ, & dirige me in  
semitam rectam. Vias tuas Domine  
demonstra mihi, & semitas tuas edo-  
ce me, modò ut divinam suam vo-  
luntatem doceat. Doce me facere  
voluntatem tuam, quia Deus meus es  
tu. Domine quid vis me facere? modò  
ut linguam ipsius custodiat: pone

Domine custodiam ori meo, & ostium  
circumstantia labii mei. modò ut  
oculos ipsius à vanitate divertat:  
Averte oculos meos, ne videant vani-  
tatem. modò ut intellectum sibi  
largiatur ad capienda quæ bona  
sunt: Da mihi intellectum, & scruta-  
bor legem tuam, da mihi intellectum,  
ut sciam testimonia tua, modò ut  
in bonis propositis confirmet.  
Manda Deus virtuti tuæ, confirma  
hoc Deus, quod operatus es in me,  
modo alia pro necessitatibus pro-  
priis & desideriis, &c.

Vigésimus primus est Propositi,  
promittendo, & proponendo  
coram totâ cœlesti curiâ, om-  
nia se facturum, quæ sive cog-  
novit, sive cognosceret fore è

gloria divinā: frequēter divinam  
bonitatem, & misericordiam lau-  
daturum. Confitebor Domino secun-  
dum Iustitiam eius, & psallam nomi-  
ni Domini Altissimi, laudabo nomen  
Dei cum cantico, & magnificabo eum  
in laude. mandata eius semper im-  
pleturū: Custodiam legē tuā semper  
in seculum, & in seculū seculi. Iuravi  
& statui custodire iudicia Iustitiæ tuæ,  
opera quædā voluntaria, nulla le-  
ge præcepta facturum: voluntariè  
sacrificabo tibi, & Confitebor nomini  
tuo, Domine, quoniā bonum est. Vitia  
Se carnē persecuturum: persequar  
inimicos meos & comprehendā illos,  
& non convertar donec deficient.  
summo manē orationi vacatu-  
rum: In matutinis meditabor in te:

manè astabo tibi, & videbo, quoniam  
non Deus volens iniquitatem tu es.  
de mirabilibus Dei locuturum;  
narrabo mirabilia tua: letabor &  
exultabo in te, confitebor Domino ni-  
mis in ore meo; in medio multorum  
laudabo eum: Narrabo nomen tuum  
fratribus meis in medio Ecclesie lau-  
dabo te. Speraturum in Deo,  
nec quicquam reformidaturum:  
si consistant adversum me castra non  
timebit cor meum: si exurgat adver-  
sum me praelium, in hoc ego sperabo.  
nunquam à subiectione Dei re-  
cessurum. Ipse Deus meus, & sal-  
vator meus, adiutor meus, non emi-  
grabo. promissiones deo factas  
impleturum, reddam tibi vota mea,  
qua distinxerunt labia mea, vota mea

Domino

Domino reddam, coram omni populo eius. &c. aliqua ad profectum suum spiritualem pertinentia perfecturum. &c.

Vigesimalis secundus est proso-  
poeia, modò fingendo quasi  
deus contra ipsum querelas in-  
stituatur. Populus quem non cognovi,  
servivit mihi: in auditu auris obedi-  
vit mihi. Tu verò repulisti, & despe-  
xisti; quomodo facta es meretrix civi-  
tas fidelis, plena iudicii? quomodo ob-  
scuratum est aurum, mutatus est co-  
lor optimus. modò quasi ipsi ex-  
probret perverlos mores, & in-  
gratitudinem: Quare tu enarras  
iustitias meas, & assumis testamen-  
tum meum per os tuum? Tu verò odi-  
sti disciplinam, & proiecisti sermo-



nes meos retrorsum : quid est ? quod debui facere vinea mea , & non feci ei ? an quod expectavi , ut faceret uvas , & fecit labruscos ? modò quasi reprehendat , eo quod vanitates sectetur , &c. Fili hominis , ut quid diligis vanitatem , & quaeris mendacium . modò quasi adhortetur ad laudandum Deum . Im-mola Deo sacrificium laudis , & redde altissimo vota tua . modò quasi suum ipsi auxilium promittat . invoca me in die Tribulationis ; eruam te , & honorificabis me , &c. modò imaginando sibi , ac si sanctus aliquis in hac vel illâ virtute eximias doleat , quod non imitetur : modò ac si Diabolus exulter , quia potius

ipsum

ipsum quam Deum sequatur, det  
locum ipsius suggestionibus, si-  
nat se ab ipso induci in pecca-  
tum, in teporem, &c. modò  
fingendo, quod virtutes ipsæ  
si loqui possent, meritò conque-  
rerentur, non esse se in pretio  
& honore quo deberent, &c.

Vigesimus tertius est *Querela*,  
tantum sibi, cum debitâ nihilo-  
minus reverentiâ & humilitate,  
tribuendo, ut quasi de Deo queri  
audeat, quòd nimium excrevere  
sinat tribulationes suas. *Domine*  
*quid multiplicati sunt, qui tribulant*  
*me multi insurgunt adversum me,*  
*quod longè ab ipso recesserit. ut*  
*quid, Domine recessisti longè, despicias*  
*in opportunitatibus, in tribulatione?*

quod ipsius obliviscatur, & non respiciat. usquequò Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam à me? susceptor meus, quare oblitus es mei? quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopia mea, & tribulationis meae? quod nimis tarde ipsius miseriam respiciat: Domine quando respicies: ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine? quod nimis se durum ad exaudiendum præbeat: Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui? quod preces ipsius repellat; ut quid Domine repellis orationem meam? ut quid Deus reputasti in finem? quod differat ignoscere. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam

meam? quod videatur ipsi exhibere te quasi crudelem: Clamo ad te, & non exaudis me: asto, & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manus tua adversaris mihi. quod à peccatis ipsum non liberet. Cur non tollis peccatum meum? & quare non auferis iniquitatem meam? alias contra seipsum lamentando, quod non sit stabilis in propositis, in resistendo tentationibus, in fugiendis peccandi & Deum offendendi occasionibus. subindè contra carnem, quod frequenter ad malum stimulet, alias contra diabolum, quod nimis importunè suis ipsum suggestionibus vexet, alias contra homines, quod ipsum ad

L

pecca-

peccatum sollicitare non cōsent.  
&c.

Vigēsimus quartus est *Reddi-  
tionis gratiarum*, gratias agendo  
divinæ bonitati, pro tantis bene-  
ficijs ipsi præstitis, & promissio-  
nibus factis, pro benignâ audien-  
tiâ læpius consâ; pro lumine  
& affectibus in meditatione  
communicatis &c. excitando a-  
nimam suam ad benedicendum  
Deo pro obtentâ peccatorum  
veniâ, & varijs donis gratiarum.  
*Benedic anima mea Domino. & noli  
oblivisci omnes retributiones eius: qui  
propitiatur omnibus iniquitatibus  
tuis. &c.* animo grato commemo-  
rando, quod à Deo exauditus  
fuerit. *Confitebor tibi Domine, quo-*

niam

nam audisti verba oris mei: benedictus es, Domine qui non amovisti orationem meam, & misericordiam tuam à me. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. &c.

Vigésimus quintus est Reprehensionis, seipsum reprehendendo, tanquam indevotum, ingratum, durum; post tanta beneficia, tanta auxilia, tantos stimulos, tanta lumina &c. tanquam vitis deditum, & in ipsis gloriantem. quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate, tanquam vanum, & duplici longâ utentem. Vsq̄quo loqueris talia, & Spiritus multiplex sermonis oris tui? tanquam amatorem rerum frivolatarum & noxiarum. Vsq̄quo

diligis infantiam, & stultus ea, quae  
 tibi sunt noxia, cupis? quare se-  
 duceris ab aliena, & foveris in si-  
 nu alterius? tanquam pigrum:  
 Usquequo piger dormies? quando  
 consurges e somno tuo? tanquam su-  
 perbum. Quid te elevat cor tuum?  
 quid timet contra Deum Spiritus  
 tuus. &c.

Vigefimus Sextus est sollicita-  
 tionis, sollicitando & instando  
 apud Deum, ut citò in adiuto-  
 rium veniat: *inclina ad me aurem  
 tuam: accelera ut eruas me. Adiutor  
 meus, & protector meus es tu: Deus  
 meus ne tardaveris. Exurge, quare  
 obdormis, Domine? exurge & ne re-  
 pellas in finem: ut ipsum ab inimi-  
 cis & malâ Societate liberet.*

Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me; eripe me de operantibus iniquitatem & de viris sanguinum salva me, instando apud Beatissimam Virginem ut ipsi favores impetret. &c. Sanctos, ut in necessitatibus subveniant; ut Dei gloriam procurare iuvent: Afferte Domino gloriam & honorem: Afferte Domino gloriam nomini eius. urgendo animam suam, ut tempestivè bonum, quod proposuit, exequatur; quamprimum occasiones labendi in defectum aliquem fugiat. &c.

Vigesimalis Septimus *Estimatio* nis, ostendendo pluris nos æstimare Dei misericordiam,



quam ipsam vitam: Melior est misericordia tua super vitas pluris facere vel unius diei commorationem in Domo Dei, quam mille annis habitare alibi: Melior est dies una in atriis tuis super millia, in pretio habere consolationes celestes prae terrenis: Meliora sunt ubera tua vino, magis dulces iudicare Sermones Dei, quam omnes delicias mundi: quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo, feliciorum unius Iusti indigentiam ducere, quam multorum peccatorum rerum omnium abundantiam. Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas. Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. po-  
tio.

tiorem habere immittam a Deo,  
qui nos diligit aduersitatem,  
quam promissam à Dæmone qui  
odit prosperitatem: *Meliora sunt  
vulnera diligentis, quam fraudulen-  
ta oscula odientis.* præponere gra-  
tiam & amicitiam Dei omni ho-  
minum favori; magis amabilem  
ducere virtutem quantumvis  
difficilem, quam peccatum licet  
facillimum. &c.

Vigésimus Octavus *Taxatio-  
nis*, sibi ipsi taxando, seu sta-  
tuendo pœnam aliquam, si debi-  
to suo non faciat satis; si propo-  
sita non exequatur; si Dei & cœ-  
lestis gloriæ non recordetur;  
*si oblitus fuero tui, oblivioni detur  
dextera mea. adhereat lingua*

mea faucibus meis, si non memine-  
 ro tui: si non meminero Ierusalem in  
 principio letitiae meae. taxando si-  
 militer & determinando tem-  
 pus. V. G. si hodie, si intra bi-  
 duum. &c. non fecero hoc vel illud:  
 hanc vel illam passionem non vicerō,  
 hoc vel illud propositum executus non  
 fuero, Deus me hoc vel illo modo pu-  
 niat. &c. taxando praeterea mo-  
 dum attendendi ad orationem,  
 vitiorum extirpationem, virtu-  
 tum exercitationem, & determi-  
 nando sibi ipsi talem vel talem  
 poenitentiam si hoc vel illud, ta-  
 li vel tali modo non perficiat.  
 &c.

Vigésimus nonus est vituperationis, detestando propriam in re-

bus bonis cœcitatē; nimiam  
carnis in malis & indifferentibus  
prudentiam, pigritiam in exe-  
quendis bonis propositis, mali-  
tiam in abutendâ Dei misericor-  
diâ, & gratiâ. &c. exiguum iudi-  
cium in complacēdo sibi de pec-  
catis, & imperfectionibus, quæ  
sunt ipsius ruina. *Hæc via mea scā-  
dalum mihi, & postea in ore meo  
complacebo, in eo quod sensualita-  
tem sequendo, & passiones pro-  
prias, bestijs sese assimilaverit:  
Cum in honore essem, non intellexi:  
comparatus sum iumentis insipienti-  
bus, & similis factus sum illis. dete-  
stādo Diaboli dictamina, & obie-  
cta ab ipso repræsētata aversādo  
cōtemnendo illici menta mun-*

di & carnis, tanquam res nō solū  
Deo; sed etiam rationi humana,  
& propriæ salutis contrarias. &c.  
Trigelimus. Zeli, cum sancta  
quâdam impatientiâ, ostenden-  
do, se non posse ferre peruersum  
malorum agendi modum. propter  
quid irruavit impius Deus? dixit e-  
nim in corde suo: non requies. Usque  
quo Deus improperabit inimicus? ir-  
ruat adversarius nomen tuū in fine?  
admirando quod eos Deus tole-  
ret, eundemq; incitando ne ferat  
ulterius. Deus quis similis tibi? ne ta-  
ceas, neque compeſcaris Deus. osten-  
dendo nō se posse pati ut glorie-  
tur de malo: Usquequo peccatores  
Domine, usquequo peccatores gloria-  
buntur indignâdo sibi, quod ani-

ma sua & potentia Deo rebellēt:  
nonne Deo subiecta erit anima mea,  
optando ut successu careant insi-  
diæ inimicorū spiritualiū suorū.  
decidant à cogitationibus suis; secun-  
dum multitudinem impietatū eorum  
expelle eos ut ex orbe maledicentia  
& cœtera vitia eijciātur. Disperdat  
Dominus universa labia dolosa, &  
linguā magniloquā ut inimici Dei  
proscribantur: Exurgat Deus, &  
dissipentur inimici eius. ut malum  
quod alteri præpararunt in ipsos,  
met recidat: Veniat illi laqueus, quē  
ignorat, & captio quam abscondit ap-  
prehendat ipsū. & c. ut ne memoria  
quidē vitiorū ulla remaneat, nec  
imperfectio, nec malotum:  
Disperat de terra memoria eorū & c.

Alij adhuc modi adhuc finem adduci possent, V. G. Accusationis, Invocationis, Protestationis, pura necessitatum propositionis, Resignationis, Provocationis Diaboli, mundi, & carnis ad certamen. &c. quibus pro occasione utuntur S. Augustinus in suis meditationibus, & soliloquijs, S. Bernardus in suis item meditationibus, & alij; sed quia nemo est tam durus, qui adhibito uno aut pluribus ex suprapositis nō moveatur, non est opus in hac materia fusiores esse. Hoc tamē moneo, maiorem partem Sententiarum, & locorū S. Scripturæ pro exemplis horum modorum à nobis adductorum servire posse pro

orationibus iaculatorijs sæpè per diem repetendis, quod Magistri vitæ spiritualis suadere solent, prout quis se adhuc vel illum affectum movere, hoc vel illo modo voluerit, & quidem magno fructu in ordine ad meditationem benè faciendam.

*Praxis Supradictorum modorum.*

**N**ON ORITAM tamen proponere exemplum aliquod horum modorum practicum, ultra illa quæ suprâ ex S. Scriptura attuli, ut ad illius similitudinem affectus suos dilatate possit, & unum modum alteri connectere, qui meditaturus est, itaque



exercitio voluntatis, ut par est diutius immorari.

Inhaerendo ergo materiae superius adductae, de Sanctissimae divini verbi Incarnatione: post motiva ibidem voluntati proposita, ad excitandum in eâ desiderium sapius mentis oculos elevandi ad Deum, ipsius imitatione, qui ex cœlo homines respicit; poterit huiusmodi affectum vel excitare vel excitatum continuare, & amplificare modis sequentibus.

1. Per modum admirationis. *Et tu nihilominus ô cor meum, non carneum, sed lapideum equè durum manes! & nihil moveris, neque quod Deus qui tui nulla ratione indiget ut necessita-*

*tibus*

tibus tuis succurrat, continuo te respicit; neque quod verè in se pulcherrimum sit, crebro divinam bonitatem & charitatem respicere; neque quod tanta unde tibi proventura sint auxilia, tanta gloria, tanta voluptas, neque quod id faciendo; mirifice Deum ipsum, Angelos & Sanctos omnes recreares; Daemonè verò iuratum hostem tuum insigniter cructares; neque etiã quod hac ratione verũ & Christi Discipulum ostenderes, quod tam sæpè desiderasti! Et quomodo est possibile, ut hæcenus in hoc negotio tam incurius fuerim: imo quomodo est possibile, ut vel nunc tã parũ resolutus sim, ut moveri nõ possim, ad faciendum in hac re quod debeo? Quãdiu ponã cõsilia in animã meã! quamdiu mecũ considera-

bo? ergo non sufficit tibi vel unicus nutus divinae voluntatis? O Deus neque nutus mihi sufficit, neque praeceptum neque exemplum. Et quid facitis? obstupesce terra, videns tantam, dicamne duritiam, an malitiam humani cordis: Deus sine ullo suo commodo, sine ullo merito meo me respicit, & ego cum tanto commodo meo, post tanta ipsius merita, nec oculum dignor elevare ad Deum, sed cogito, & recogito, & adhuc hareo, velimne an nolim! obstupesce coelum dum motor tuus, ut lutum respiciat, se inclinatur, & lutam ut vel Deum aspicere possit, non se dignatur elevare, sed differt de die in diem, & sub titulo ne in consideratè aliquid inchoet, quod constanter continuare non possit, ad-

huc considerat & considerat, an aliquando inchoare velit: obstupescere Angeli Sancti, dum maiorem inventis in movendo unico terreno corde resistantiam, quam in versando ordine cœlorū universo. obstupescere & tu, Dominus & Deus meus, quod ad minimū amoris signū, quod mihi exhibeat vilissima quævis creatura tua, quiescere non possim, nisi illā videā, queram, & cum illa agam: & postquā tu me tam efficaciter invitas, nulli mihi cura est, non solum ut in tua conversatione diu permaneam, sed ne quidem ut ad te accedam, ut vel ad momentum aspiciam: verum contentus sum, si subinde mecum discurram, & cogitem bonum esse tecum conversari, absque ulla cura ut idipsum faciam.

Secundo per modū detestationis.  
O Maledicta cordis duxitis, quā fortiter me premis? quā vehementer me obsides? imò quā crudelē in me Tyrannidem exerces? dū Deo tanta me benignitate ad se invitanti, vel semel credere prohibes? discede denique, discede à me qui nullā deinceps tecū habere partē volo desine aliquando possidere animā meā, recede in remotissimas orbis plagas, abscondere in praecipitissimis petrarū cavernis, ubi sedes tua est, & cessa aliquando humana corda in lapides obdurare, quæ respectu Dei tam debent esse mollia, & tractabilia, ut continuo dicere valeant: factum est cor meum tanquam cera liquecens.

Tertio per modū gratitudinis.  
Ita Domine, ita decet, ut sim tecum,

qui tuis me continuo beneficiis cum-  
mulas. ita sane, ita debeo esse tecum  
Domine, qui studio de caelo meas re-  
spicis miseras, ut compatiaris mi-  
hi, & ex illis me eripiendo & sub-  
levando misericordiam exhibeas ita  
omnino, ita convenit me habere re-  
spectu tui, qui es vere sol, multo  
animabus utilior, quam materia-  
lis ille Sol corporibus, & qui hoc  
non credit, veniat & audiat, & nar-  
rabo, quanta feceris Deus anima  
mea tu illam creasti, atque ex nihilo  
absque ullo merito suo, imo pra-  
videndo multa ipsius demerita edu-  
xisti; Tu tribus illam potentiis  
ornasti tuae imaginis representati-  
vis, tamque perfectis, ut si no-  
visset illis uti, multum utique

in communicatâ sibi pulchritudine  
profecisset, & te illis largitorem ma-  
gis glorificasset. Tu illam corpori,  
pro quo tibi immensas Domine gra-  
tias debeo, non defectuoso; sed bene  
temperato, optimis organis instructo  
insudisti, & ad exercendas operatio-  
nes suas perquam idoneo, dummodo  
benè operari voluisset. Tu illam gra-  
tiâ sanctificante decorasti, charitate  
tuâ vestisti, spe tuâ tibi desponsasti, &  
nunc super ista postquam culpâ suâ  
& malitiâ denigrata est super carbo-  
nes, postquam pretiosam gratia ve-  
stem abiecit, annulum confregit, seip-  
sam in sordes terræ prostravit, & esse-  
cta est velut sus tota in volutabro lu-  
ti, hoc quoque beneficium adiungis, ut  
de cœlo illam respicias! O Deus ô in-

finita misericordia Deus! Deus meus,  
 misericordia mea! quid retribuam  
 tibi pro omnibus quae retribuisti mi-  
 hi? & quomodo cor meum non tan-  
 quam cera liquecat?

Quarto per modum oblatio-  
 nis. Verè Domine, ita ut fiat iura om-  
 nia requirunt. Ecce igitur cor meum,  
 quod est factum tanquam cera li-  
 quefcens, nondum quidem perfectè  
 liquefactum; sed tamen ad ardentem  
 tuae praesentiae radios ita liquefacien-  
 dum & molliendum, ut quamlibet ei  
 imaginem imprimere, quaslibet in eà  
 litteras formare possis. Si vix in eà  
 imprimere imaginem compunctionis,  
 quod te offenderim, & nimis ingra-  
 tum praebuerim: ecce illud factum  
 velut cera liquefcens: si imaginem



mortificationis, & poenitentia ad delendas preterite vite culpas: ecce illud sicut ceram liquefactum, si imaginem gratitudinis & charitatis adversus te, qui vix audisti meum, peccavi fructusque vero poenitentia vidisti, & mox transtulisti peccatum meum à me, ecce illud instar cere molle ac tractabile: si in illo monitum aliquod salutare inscribere desideras, ut in gratia tua deinceps permaneam, neque ad miserrimum statum meum priorem revertar; scribe obsecro Domine; scribe: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Cumque iam sit pro te mollificatum, si adiungere vis, & imprimere, ut memineris

inpirationibus tuis obedire, ita enim facile conservandum; ecce illud in manibus tuis liquefactum, molle, tractabile: ecce illud totum tuum: ad omnem nutum tuum promptissimum: & aliud nesciens, quam cum Apostolo dicere: Domine quid vis me facere?

Quinto per modum Confessionis. Et si mihi obiicias Domine, quod iam saepe tales, imò magis affectuosas tibi oblationes fecerim, & nihilominus in occasionibus retrorsum abierim: Confiteor verum esse quod dicis: imò affirmo multo id frequentius à me factitatum, quam tua mihi Maiestas iustissime exprobret, Confiteor ex illorum numero me esse, de quibus per

prophetam olim questu: es, quando dixisti: Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli: quia vere, postquam singulari gratia tua electus fui in filium a te vero fructuoso. & in cordibus ferventer te amantium accrescente, simili adhuc effectus sum militibus quibusdam vanè gloriosis, & vere timidis, qui ante prælum aliud non faciunt, quam intendere arcum, & sagittas eiaculari, at cum tempus demonstræ de fortitudinis advenerit, turpius terga vertunt.

Sexto per modum propositi: Confiteor Domine totum hoc esse verissimum: nihilominus etiam firmissime propono, in divino conspectu tuo, cuius mee promissionis testes appello

beatos

beatos illos aulicos tuos omnes, qui  
stant coram te semper, te intuentur  
& indefinenter laudant te: quod de-  
inceps quotidie minimum septies ve-  
lim mentem meam levare ad te in  
coelum, quae alioquin gravi pondere  
corporis trahitur in terram. Scio,  
quod minimum septies in die offen-  
dam te; ideoque propono quod toti-  
dem saltem vicibus velim honorare  
te. Videor quidem mihi audire dicen-  
tem te, quod non sim facturus: esse  
hanc consuetudinem meam, ut propo-  
nam multa parum praestem, & quid  
est septies in die meminisse tui: an pos-  
sim id rarius facere, qui toties debe-  
re quoties respiro? certe Domine, cer-  
te, non obliviscar. reddā, reddam tibi  
vota mea, quae distinxerūt labia mea.

Septimò per modum Taxationis. Adverto utique Domine, mille à Diabolo impertinentes menti mee cogitationes obiciendas, quibus in huius propositi mei oblivionem me inducat: video etiam tam multis me subinde occupationibus obruendum, ut vel non possim implere vel obviscar: imo carni mee difficilem apparituram novam hanc subiectionem; Nihilominus certum mihi est hoc facere, nec debere videri subiectionem rem hanc, qua futura est levamento. Quapropter liberè hoc loco affirmo divinae Maiestati tuae, adhaereat lingua mea faucibus meis, si non fecero, & plane convenit, ut lingua mea, qua tibi mentitur, & de te non loquitur sic castigetur quare

per potentiam tuam Deus meus,  
cum mea non sufficiat, inflige mi-  
hi hanc pœnam, si vel uno die id  
facere neglexero, adhæreat lingua  
mea faucibus meis, si non memine-  
ro tui. Et ne res in incertum, ut  
alias abeat, non solum irrogari mi-  
hi hanc pœnam desidero, si omnino  
obliviscar; sed etiam si non memine-  
ro tui, septem statutis à me tempori-  
bus. Recordabor itaque tui Domine,  
& ad te levabo mentem meam sub  
hac pœna manè mox ut evigilave-  
ro: recordabor sub initium pri-  
ma actionis, quam postquam sur-  
rexero auspiciabor: de te cogitabo  
cum ad prandium me conseram;  
levabo ad te oculos meos, cum à  
mensa surrexero; te laudabo cum

ad cœnam vado: tui reminiscar cum  
ab illa recedo: Cor meum ad te diri-  
gam, imo in manus tuas illud tra-  
dam, cum ad quietem me compono.

Octavo per modum æstima-  
tionis. Et licet mihi in principio gra-  
ve forsan exercitium hoc sit futurum,  
utpote assueto vivere sine curâ, sine  
solicitudine; conabor tamen modis  
omnibus me vincere; quia denique  
melius est aliquanto temporis spatio  
laboris aliquid in eius usu experiri,  
quam absque omni memoria tui vi-  
vere; melius est illo gustu, quem liber-  
tas absque consideratione vivendi se-  
cum adferre solebat, carere, quam ob-  
lectatione illâ privari, qua fruuntur  
qui tecum conversari assuescunt. me-  
liora sunt ubera tua vino, ait sponsa

ad te loquens in canticis iuxta sensum, quem primo loco verbis illis tribuit devotus tibi. Bernardus; quia revera devotionis affectus, quem experiuntur tecum conversantes longe superat delectationes omnes, ex quavis re carnali provenientes; quod vel ego ipse attestor hodie, licet sola & mera culpa mea nondum expertus: meliora sunt ubera tua, quae est dulcedo cordi saepius ad te elevato communicari solita, vino, quod alioquin ex libertate vagandi per omnia, absque ulla ut tui recorderetur, restrictione percipere consuevit. meliora sunt ubera tua vino. Et si propheta tuus pluris aestimavit vel unum diem in atrius palatii tui commorari, quam mille annis in commodissimis & desideratis-



mis huius mundi tabernaculis habitare, quando dixit. Melior est dies una in atris tuis, super millia: cur non dicam ego, longè melius esse, & milles pluris faciendum, si quis per frequentem tui memoriam, usque ad thronum divinitatis tuæ penetrare possit, quam in noxia hac libertate cogitandi quidvis, diutius immorari? verè Domine, verè melior est vel hora una in atris tuis super millia.

Nondè per modum Affirmationis. Et si dixeris mihi Domine, hunc esse mentis meæ sensum, dum hic coram te assisto; sed mox ut hinc abiero è memoria elapsurum, quanti sit estimandum posse te: cum conversari affirmo & contester Domine, me ex corde loqui, nec unquam à

sententia hac recessurum veniat dae-  
bolus & sub pretextu boni mihi  
suggerat, nimiam videri familiari-  
tatem, si tam frequenter te allo-  
quar, & ego respondebo illi, hoc enim  
verò placere mihi si inter familia-  
res tuos merear numerari; verum  
dubitare me plurimum, ne eo non  
pertingam, & demum nihil esse, quod  
pluris quam amicitia tua debeat  
estimari. Affirmabat vir ille quem  
invenisti secundum cor tuum, bea-  
rum esse, quem tu elegeris. & in a-  
micum assumpseris. & cur non ego id  
ipsum affirmem? num ego illo illu-  
minatior, ut maiorem aliquam il-  
la felicitatem agnoscam in terra?  
non, non Domine aliud inveniri  
non potest, nec melius nec desidera.

bilis. ita assero, ita sentio: beatus quem tu elegisti & assumpsisti. Sed quid obventurum est electo huic & amico tuo? inhabitabit in atriis tuis, in aula tua commorabitur, non aliam certè ob causam, quam ut tecum agat. hoc ergo faciam, hoc probabo.

Decimò per modum Negationis: At quid est hoc quod in corde sentio? videris tu ipse dicere mihi Domine, nolle te hanc meam amicitiam, quia defectibus plenus sum, & cum hominibus tibi contrariis libenter conversor; velle eos solos amicos adsciscere, qui proscripserint ceteris omnibus, tibi soli i volunt. Verum est Domine, nihil in me reperiri potest nisi defectus multi. verum est, affectum

non.

dum habeo ita purgatum, ut deceret  
eum, qui tecum velit conversari; sed  
ut me delectet. Consortium illorum  
qui adversantur tibi (ignosce mihi  
Domine, parce sic loquenti) hoc  
certe nunquam verescabitur. Aliud  
quodvis mihi peccatum poterit obisci,  
non nego, nihilominus certum est,  
quon non sedi cum concilio vanitatis,  
& cum iniqua gerentibus non introi-  
vi. Non habeo illam vite bonitatem,  
quam deberem; non habeo illam men-  
tis & cordis sanitatem; non habeo il-  
lam conscientie pacem, quam vellem.  
ita est Domine non est sanitas in car-  
ne mea, non est pax ossibus meis; sed  
tamen cum iniqua gerentibus non  
intraivi desiderarunt quidam con-  
versationem meam, & ambierunt

amicitiam meam gloriosi quidam,  
qui nesciunt bene loqui neque de te,  
neque de proximis; at certum est, quod  
non habitavit in medio domus mee,  
qui facit superbiam; qui loquitur  
iniqua non direxit in conspectu  
oculorum meorum non delector Deus  
meus, nec delectabor unquam in illis,  
qui dicunt malum bonum, & bo-  
num malum, nunquam me in partes  
suas trahent, qui ponunt amarum  
sue perversitatis in dulce sanctae con-  
versationis tuae, & dulce consolationis  
divinae in amarum rei alicuius mun-  
dane.

Undecimò per modum petiti-  
onis. Ideoque admitte me obsecro Do-  
mine ad amicitiam tuam, tantum  
largire mihi, quantum videris esse ne-  
cessarium.

cessarium noli attendere indignita-  
tem meam, sed desiderium quod habeo  
placendi tibi, tu es qui mihi desiderium  
hoc tecum agendi donasti, tu qui ad fir-  
mum propositum faciendum induxi-  
sti, tu quoque illud confirma, & ad im-  
plendum gratiam uberem largire.

Duodecimam per modum obse-  
crationis. Et si mihi concedere non  
vis propterea, quod tam frigide illud  
ego petam, concede obsecro quia  
ferventissime illud pro me petit  
dilectissimus Filius tuus, respice,  
respice in faciem Christi tui.  
Non ego illud promeritus sum,  
fateor: sed meretur dilectus Fi-  
lius tuus, infinita sunt ipsius merita,  
hac tibi represento: per illa te  
supplex oro, largire mihi hanc  
gratiam

gratiam, & admittite ad amicitiam  
tuam: Respice in faciem Christi tui,  
qui properans ad passionem suam,  
promeruit, ut praestes mihi hanc gra-  
tiam, dum ardentissime rogavit, ut  
omnes unum essemus tecum, sicut tu  
cum ipso, & ipse tecum est unum. Ille  
actus desiderii, quem tunc habuit  
Christus tuus: ille actus Caritatis,  
quem erga nos ostendit filius tuus, ille  
actus religionis & humilitatis, quem  
exercuit rogando te, pater Aeternae, ut  
hanc nobis gratiam praestares o quan-  
tum meruit? per illud ergo meritum  
concede mihi quod peto, & effice ut  
frequenter mihi tecum tractare liceat  
quod desidero respice respice in faciem  
Christi tui.

Decimotertio per modum Fi-

ducia;

ducia. Adverto Domine, velle te. ut laborem & sudorem pro impetranda tua gratia, non tamen idcirco despero. sed dum erit spiritus in me, confido, & confidam in bonitate tua, scio, quod non in perpetuum irasceris, neque in eternum comminaberis.

Decimoquarto per modum dubitationis. Veruntamen unde scio, quid cogitet de me Deus? quoties & serio quidem, propter defectus plurimos, per remorsus interiores continuos minatus est mihi, privaturum d. lectatione conversationis suae, nisi defectus meos emendarem, & de facto me privavit? nunc ergo si pari ratione mecum velit procedere, ecquis est, qui me adjuvet, ut inveniam ipsum, & cum ipso tractare possim? quis mihi tri-



buat, ut inveniam illum, & veniā us-  
 que ad solium eius? ego sane ex me nō  
 scio, ut quis ad familiaritatem eius  
 pertingat, & suavitatem illius quie-  
 tis, quæ ex conversatione cum Deo  
 percipi solet, o quibus alis est opus, &  
 quis mihi eas dabit? quis dabit mihi  
 pennas, ut columba & volabo & re-  
 quiescam? nemo certè nisi ipse  
 Deus, qui nunc meritò durus est  
 mihi.

Decimo quintò per modum Ex-  
 hortationis, sed tamen noli dubitare  
 anima mea revela Domino vitam  
 tuam, & spera in eo, & ipse faciet;  
 nam qui se fugientes ultro invitat, ut  
 accedant, te non recipiat, qui aliud nō  
 desideras, quam amare ipsum, & ipsi  
 soli servire? incipe modò quantum

potes, delectare in ipso, nec dubita,  
concedet omnia que postulas. delecta-  
re in Domino, & dabit tibi petitiones  
cordis tui.

Decimo sexto per modum Con-  
fortationis. Quod si forte tardior in  
conferenda tibi gratia fuerit, non an-  
gustieris, hic enim est stylus eius ita fa-  
cere consuevit, ut tanto pluris estimen-  
tur beneficia eius, quanto difficilius  
fuerint impetrata quamdiu expecta-  
vit propheta, dum dixit: expectans  
expectavi Dominum, & psalmum conclu-  
sit: Deus meus ne tardaveris? quamdiu  
Christus ipse expectavit, qui ter orare  
debuit priusquam appareret ei Ange-  
lus, confortans eum? sume ergo animum tu  
quoque, expecta Dominum, & custodi  
verbum eius. tota summa rei in eo con-

listit, ut incipias secundum sanctissimam eius voluntatem instituere actiones tuas, & tunc poteris secure expectare ab eo non solum hanc gratiam, ut ad ipsum valeas elevare mentem tuam, sed etiam ut ipse ad te veniat. itaque si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Decimo septimò per modum Communicationis. Sic ergo facia Domine, praestolabor cum patientia: sperabo dum venias; interea peragendo, quod à me postulas. at quid est id, quod postulas, ut ad te recipiendum, aut certe ad sublevandum mentem in caelum, ubi tecum tractare possim, me disponam? Propheta tuus te rogavit, ut liceret sibi in palatio tuo

tecum habitare. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? at ego non peto, quis dignus sit habitare tecum; sed pro nunc contentus ero si respondeas mihi, quis vel modicum in monte sancto contemplationis tue possit requiescere. Quis requiescet, quis requiescet in monte sancto tuo? ecce audio, audio, inquam, Domine responde mihi: qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: audio, audio Domine innocens, manibus & mundo corde. hoc est quod a me exigis: opera exteriora per manus significata, ut sint sancta, & cogitationes interiores, per cordem notatas, ut sint castae & purae qui ingreditur sine macula: sine macula me desideras, sine defectu, mundum interius atque exterius, si velim teum conversari.

Decimo octavo per modum laudationis. Et quam aliam conditionem exigere potes, tu qui es ipsa puritas, ab his qui inter amicos tuos numerari cupiunt? quid aliud velle debes, qui es speculum sine macula, candor lucis aeterna, lux pura absque ulla permutatione tenebrarum, spiritus & actus purissimus? bene dixit dilectus filius tuus. Beati mundo corde, quonia ipsi Deum videbunt: nam optime perspectum habebat, quia sit natura tua perfecta, quam remota ab omni compositione, sive ex materia etiam purissima, sive quacunque alia re, quam Chrystallo licet mundissima lucidior, quia ipso sole splendidior; & propterea voluit, ut qui te videre cuperet, per puritatem cordis, quantum posset ad te

puram & clarā visionem seipsum dis-  
poneret. unde ego ipse laudare debeo,  
quod & puritatem operationem, &  
mundiciam cogitationum à me re-  
quiras, si eo ascendere desiderem, ubi  
tecum amice tractem.

Decimo nono per modū Benedi-  
ctionis. Benedictus sis Domine millies  
& iterum millies. benedictus sis Deus  
meus, tū quia adeo diligis puritatē &  
sanctitatē vite, ut illi soli appropin-  
quare tibi permittas; tū quia me doces  
ut illā procure, si ad amicitiam tuam  
admitti desiderē benedictus Dominus  
Deus meus, qui doces manus meas ad  
preliū, cōtra impuritatem cogitationū,  
contra vanitatem operū, contra intē-  
tiones malas, contra actiones imper-  
fectas benedictus Dominus Deus meus.

Vigesimò per modum Repre-  
hensionis. Sed tu anima mea, stulta-  
nè dicā, an perversa? quid agis? quo-  
ties eandē doctrinā huc usque celestis  
hic Magister te docuit, & tu nihilo-  
minus propter socordiam tuā, vel ut  
liberius verum dicam, propter mali-  
tiam tuam, nunquam eam intellige-  
re voluisti, imo ne auscultare quidem  
ut intelligere posses? quoties interius  
dixi tibi, non habere te eam rectitu-  
dinem intantionis, in operibus tuis,  
quam debebas? quoties exprobravi ti-  
bi, nec cogitationes tuas, nec desideria  
pura & sincera esse, sed impura, falsi-  
tate & duplicitate permixta? quan-  
tumvis enim ore profitereris, cupere te  
ad Deum convertere, & reiectis om-  
nibus, quae te ab eius amicitia impedi-

re pos-

re possent, illi soli attendere, corde ta-  
men aliud intendebas.

Vigesimo primò per modũ pro-  
fopopeiæ. Et verò minus malũ fuis-  
set, si alio solũ tempore, quod tantum  
lumen, & tã singulares à Deo favores  
nondum acceperas, hæc contigissent:  
at magis deplorandum, quod sapien-  
tissimus ac perspicacissimus ipsius o-  
culus, eandem te vel nunc esse videt,  
quæ hæcenus fuisti. audi ergo, audi  
quid ad te loquatur, te ipsam deplo-  
rans. Fili hominis: imo fili Dei, quem  
huc usque dilexi ut filium, tractavi  
ut filium, ut rem propriam custodi-  
vi, ut pupillam oculi mei, ut quid di-  
ligis vanitatem, & queris menda-  
cium? tu quidem dicis, velle te fre-  
quenter mecum agere; nolle te cum



aliis, quam meum conversari: omnes tuas delicias fore in conspectu meo ambulare; me tibi patrem, matrem, amicum, dilectum, cibum gloriam, & verbo, omnia fore. sed ut video adhuc diligis vanitatem, & quaeris mendacium: quid enim aliud est velle videri bonum, & sanctum, quod tu cum desiderio agendi mecum coniungis, quam diligere vanitatem? quid aliud est desiderare, ut alii loquantur magnifice de te, & dicant te esse sanctum, nisi quaerere mendacium? tolle, tolle, hanc impuritatem a desideriis tuis, si vis ut mihi placeant. pro scopo affectionum tuarum propone tibi solam gloriam meam, si me ad executionem illarum cooperari desideras.

Vigesimo secundo per modum  
Comminationis. Nunquid dixi ti-  
bi o anima mea peruersa? non posse te  
impuritatem, quam permiscere desi-  
deris tuis consuevisti, vitare, & sem-  
per aliud intendere, quantumvis di-  
cas, nolle te aliud quam Deum? &  
quando tandem te adduces, ut facias,  
quod debes? quando tandem cognosces be-  
ne & intelliges, quod Deus solus velit  
possidere cor tuum, nec aliud secum  
tolerare possit? noli existimare esse  
illum similem Dagon, qui libenter ad-  
misit in templum suum arcam  
Dei: ipse potius similis est Arca,  
que pati non potuit, ut Dagon in-  
teger coram se staret. Solus ille suffi-  
cit implere cor tuum, & mille millia  
cordium, illaque satiare; ut quid

ergo adhuc non intelligis hanc veritatem, nec recordaris, quod Deus solus velit esse in te? Intellige, intellige haec, quae oblivisceris Deum: ne quando rapiat & non sit qui eripiat. Certum est, quod nisi debito tuo tandem satisfacias, ipse apprehendet te, & pro meritis castigabit, & non erit qui te de manibus eius possit eripere; omni te lumine spirituali, quod alias contulit privabit; fervorem in oratione concessum tollet; spiritualia auxilia, quae dat ut perfecte ipsi servire valeas, subtrahet. intellige intellige haec, quae oblivisceris Deum. alioquin affirmo tibi, nisi conversa fueris ab amore rerum terrenarum, & propria existimatione ad

purum amorē Domini Dei tui, gladium suum vibrabit, iam tum arcum iræ suæ tetendit, & paravit illum contra te, tanquam qui videaris ei velle illudere, dum promptam te monstras ad amplectendam amicitiam eius, & tamen non aufers quæ illam prohibent impedimenta.

Vigesimo tertio per modum vituperationis. Neque tandem aliquando te pudet, nova à Deo beneficia & gratias exposcere, atque ad eius amicitiam aspirare, quæ cum iisdem quotidie imperfectionibus deprehenderis, & impedimentis existimationis propriæ, atque affectionum terrenarum? bella enim verò res, verbis totam se à terrenis & carnalibus af-

fectibus liberam profiteri, te autem vera eisdem esse plenissimam. Invitare Deum ut ad te veniat; & interea conclave cordis præpedire, atque inimicis eius occupandum præbere: pulchra sanè ad sublevandam mentem in Deum dispositio, si te novo quotidie imperfectionum pondere oneres; hic ipsissimus est modus tuus, hæc consuetudo tua in quam continuo impingis, & postea tibi complaces, & tibi blandiris, quasi per unicum bonum desiderium, quod habes inter tot imperfectiones iam usque ad tertium cælum pertigisses? hæc via tua scandalum tibi. hæc sunt probationes tue, dignæ profecto persona spirituali, qualis tu haberi vis, & postea in ore tuo complacebis, adulando tibi ipsi & applau-

dendo.

plaudendo quasi recta & cum fervore quidem ad Caelum tendas.

Vigesimo quarto per modum Zeli. pudeat te aliquando, & tibi ipsi indignare, quod ita vivendo, ut tu vivis, adhuc audeas amicitiam Dei ambire, & quomodo continere te potes Domine Deus, videns tantam arrogantiam atque impudentiam? Deus quis similis tibi? quis obsecro inter homines, animadvertens continuis sese imperi iniuriis idque ante oculos suos, vilissimo se terra vermiculo postponi, subsannari ab eo, qui amicus velit haberi, patientiam tamen habeat, & nec verbum dicat, Deus quis similis tibi? ne taceas, neque compefcaris Deus. Castiga me Domine castigatione quam mereor. hoc fit admittere

me ad amicitiam tuam, punire scilicet  
temeritatem atque audaciam meam.

Ne taceas, neque compeſcaris, Deus.

Vigesimo quinto per modum hu-  
miliationis. Verè agnosco quod hæc  
promerear, Domine Deus meus, &  
Iudex meus agnosco quod sim vermis,  
& non homo, & quod sicut vermis  
debeam omnium pedibus concultari, ne-  
que ullo modo aspirare ut tecum agam  
sicut homo, & si nihilominus divina  
maiestas tua velit, ut sim homo, oportet  
sanè ut fatear. Sum opprobrium  
hominum & abiectio plebis, propter  
quotidianas imperfectiones meas,  
propter continuam ad res terrenas  
abiectiorem per ipsas serpendo adeo  
infra homines vilui, ut non sim dig-  
nus aliter vocari, quam opprobrium

hominum, & abiectio vilissima ple-  
bis, ac propterea fateor, poenas me po-  
tius à te quam favores promereri.

Vigesimo sexto per modū Nar-  
rationis. Non tamen idcirco diffido  
de bonitate tua infinita: sed spero non  
obstante tanta vilitate mea tanta  
temeritate, tantis imperfectionibus,  
nihilominus collaturum te gratiam  
quam postulavi, ut possim exequi  
propositum quod feci, & frequen-  
ter ad te mentem meam elevare. Me-  
mor sum, Domine, quantam mihi a-  
lias benignitatem exhibueris; fuit  
quādo gravioribus implicatus pecca-  
tis, cor magis tibi contrarium habui,  
quando luto rerum terrenarum ma-  
gis immersus fui, quā tuo beneficio  
sum modo, & tamen vix aperui os

meum



meum ad petendum dona tua, & ex-  
 audisti orationem meam, ut dicere  
 possim cum propheta, licet in alio sen-  
 sus meum aperui, ad postulandum  
 auxilium tuum, & attraxi spiritum,  
 subito obtinui, non solum liberatio-  
 nem à peccatis, sed etiam spiritum de-  
 votionis, dulcedinis spiritualis, leti-  
 tia interioris.

Vigesimo septimò per modū sol-  
 licitationis; Veni ergo, veni etiam  
 nunc Domine, & fac mecum hanc mi-  
 sericordiam: veni, veni, Deus meus mi-  
 sericordia mea, & noli tardare: & va-  
 mihi si distuleris hanc gratiam,  
 stat iuxta me Sathan in omnē occa-  
 sionem intētus, & iam parat obicere,  
 ad quid cupiam tractare tecum, cum  
 nihil de me cures. Carnem habeo

obmurmurare promptam, & cur  
velim adstringere, ut mihi serviat ad  
renovandam septies in die memoriam  
tui, cum tu ostendas parvi facere obse-  
quia mea, & videaris planè oblitus  
mei. Adest mundus in presenti suas  
mihi voluptates offerens addendo nul-  
las mihi à te, aut non nisi valde tardè  
expectandas. fac Domine ut mendacii  
redargui possit mundus, caro loqui nō  
audeat Diabolus obmutescat. Veni,  
Veni, Domine, & noli tardare;  
exurge Domine, quare obdor-  
miscis? Domine vim patior; exur-  
ge & ne repellas in finem.

Vigesimo octavò per modū que-  
relæ. Et nihilominus moraris Domine  
Deus meus, nihilominus ultrà affligi  
me pateris, quem alias tam promptè

exaudire solebas? liceat mihi libere loqui tecum. Quare faciem tuam averti? an nescis ab hac facie tuâ dependere omne bonum meum? ab eius serenitate depelli omnes nebulas cordis mei? solo eius aspectu totum me accendi atque inflammari amore tui? quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopie mee? ô quàm magna est hac inopia mea! ô quàm indiga est anima mea! ô quam omni bono destitutum est cor meum! quare oblivisceris inopie mee, & tribulationis mea! an modica tibi tribulatio videtur esse sine te; repelli à te? experiri te crudellem! ô Domine, dicam tamen; clamo & non exaudis: sto & non respicis me; mutatus es mihi in crudellem. & nihilominus modo non est

tempus

tempus. quia presens necessitas mea  
grandis est nimis. veni ergo, veni Do-  
mine: veni Domine, Domine quando  
respicies?

Vigesimo Nono per modū Gra-  
tiarum Actionis: Verum nimis bo-  
nus, benignus, & suavis es Domine ec-  
ce iam intrā me audio asserentem, non  
solum nō detrectare te conversari me-  
cum; sed potius ad hoc ipsū me invita-  
re. Videor audire te solitā illā tuā, &  
promptissimā caritate dicentem. Ecce  
adsum. veni cito. O divinum, o mille  
votis desideratum, Ecce adsum. o a-  
mabilissimum, o iucundissimum, o  
divinissimum, veni cito? & quid re-  
tribuā tibi Domine pro tam promptā  
benignitate! & quibus obsecro verbis  
satis explicabo affectum, quem sentio

gratias agendi tibi, dum in effectu ipso id dignè prestare nullo modo possum? dignare è benignissime Domine, saltem illa suscipere, quibus usus est dilectissimus Filius tuus, cum quadriduanum Lazarum à morte ad vitam revocaturus, dixit. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, quod si illorum sonū tantummodo attendas, & personā à qua nunc proferruntur verè nō sufficiunt pro gratiarū actione, quam tibi debeo; verum si illa acceptes, & respicias ut verba tunc à dilectissimo filio tuo prolata, & nunc in unione illius affectus quo dicta fuerunt, tibi oblata, scio Domine contentus eris, accipe igitur ut talia, quandoquidem sic ea cum licentia eiusdem dilectissimi filii tui offero.

Trigesimo per modum Invitationis. Et vos Angeli beati, Sanctique cœli cives, nonne ad dignè debitas vestro ac meo Deo & Domino benignissimo agendas gratias me adiu-  
vabitis? Salvator noster contentus est, ut aeterno Patri suo illas offeram gratias, quas ipse nobiscum vivens eidem detulit: sitis & vos contenti in partem venire illius obsequii, quod Deo exhibere desidero; Agite etiam vos illi gratias pro me affectu illo ardentissimo, quo potestis ad honorandam magis divinam eius Maiestatem, ac dignitatem infinitam, audiatur nunc magis quam unquam ante hac illud: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. benedicite Angeli Domini Domino, laudate

Et superexaltate eum in secula.  
fiat, fiat à vobis o Angeli, Sanctique  
omnes, semper quidem; sed nunc ma-  
ximè. Quando in vestram etiam  
honorem redundabit, si gratiam hanc  
mihi præstiterit Dominus, ut se-  
cum tractare; mentem frequenter in  
ipsum elevare; in arctam ipsius ami-  
citiæ admitti possim, siquidem  
subditorum est honor, si ipsorum Do-  
minus honoretur à multis: honorati  
quavis, cuius actiones simili exercitio  
actionum approbantur: ecce ego  
Deum honorare vobiscum desidero;  
hoc minimum aliquoties in die pro  
debilitate & fragilitate præstare,  
quod vos absque ulla intermissione  
semper agitis, vos ergo pro viribus ho-  
norare cupio: itaque gratias illi agere.

pro eo quod mihi prestat beneficio,  
quantum potestis adiuuare.

Sic continuari & dilatari poterunt affectus omnes qui inter meditando sentiuntur, aut excitari si non sentiantur, ut dictum supra: advertendo non esse necessarium procedere ordine illa Alphabetico, quo supra positi fuerunt hi modi, neque ordine in exemplo pratico observato; sed posse quemlibet modò hunc; modò illum usurpare: prout magis commodum videbitur: imò posse in eadē dilatazione unius affectus, uti saepius uno eodemque modo, sicut in re præsentis, post dicta superius, concludens exercitium



ultimo colloquio ad æternum Patrem directo, ut mox diceretur, posset denuo uti gratiarum actione, oblatione, proposito, simplici petitione, & obsecratione, verba hæc, vel magis etiam affectuosa subiiciendo.

Ecce ô Pater benignissime, misericordissime, amabilissime, liberalissime, totus caritas, imo caritas ipsa, gratias tibi agunt pro me omnes cari & dilecti Aulici tui: ecce dilectissimus filius tuus contentus est, ut sua tibi verba, quibus gratias egit, offeram pro lumine quod donasti mihi, ut agnoscerem necessitatem quam habeo sapius mentem ad te elevandi, pro desiderio, quod minimû septies, quotidie hoc ipsum faciendi in corde meo accē-

disti

disti, pro fiducia quam mihi præbes, licet caro repugnet & diabolus importune tentet, fore tamen ut in effectu ipso præstet, pro promptitudine, quã monstras velle te, quoties venire desideravero, me in tabernacula tua intromittere. Suscipe igitur, Domine universas has gratiarum actiones, quas tibi offero, & cum eisdem minutum hoc unicum vilissimum, pauca scilicet hæc verba mea. Gratias ago tibi Domine Deus meus, quãtas scio, & possũ maximas te laudo & benedico & ut videas, me serio agere, de novo totum meipsum tibi offero propitissimum ad exequendum omnia, quacunque mihi dignatus es inspirare. de novo propono, quam possum firmissimè omnem diligentiam adhibere, ad implenda, quacumque promissi tibi, & procu-

randum mihi, quidquid inde resulta-  
bit boni, si frequenter tecum egero.  
propono etiam quotidie vesperi expos-  
cere à me rationes, & examinare,  
utrum fidelis fuerim, & promissa im-  
pleverim vel non; & si quidem errasse  
me deprehendero, culpam non dimit-  
tere absque poenitentiâ. Verum ô pater  
benignissime, misericordissime Deus,  
largire vires ad præstandum, quod  
tibi promitto, quia sine te ne qui-  
dem cogitare aliquid boni possum, ne-  
dum facere. Assistat mihi gratia  
tua & omnia etiam facile patero.  
quod si ego his favoribus dignus non  
sim, sicut revera non sum dignus,  
suppliciter oro, per infinitam bonita-  
tem & charitatem tuam, per in-  
finita dilectissimi filii tui meri-

ta, per amorem quo complecteris gloriosissimam Virginem MARIAM charissimam sponsam tuam, & benignissimam meam Matrem, per merita tot Angelorum, & Sanctorum, qui pro caritate sua contenti sunt, ut ea pro me, quod facio, exhibeam tibi, suppliciter orans, ut hanc qua tam est mihi necessaria, gratiam conferas. & ego iterum me offero promptissimum ad acceptandum & faciendum quidquid occurreret, pro maiori gloria, & honore tuo. Deus meus, Pater meus, Rex meus, Dominus meus, Misericordia mea, qui vivis & regnas in secula seculorum. Pater noster &c.

Postremo advertendum est, hac ratione procedendum esse, cum

quis per affectus meditari desiderat (ut quidam improprie loquuntur) sive quis meditetur per viam amoris, sive timoris, sive audaciae, sive fiduciae, sive compassionis, sive imitationis, sive compunctionis, sive alijs modis: quia denique hoc nihil est aliud, quam proponere sibi pro scopo sui discursus, longus, sive brevis ille sit, aut saltem suae apprehensionis (si non discurrat, sed solum apprehendat materiam) excitationem & dilatationem amoris, timoris, &c. quod facillime fit his triginta modis, quos attuli, pro commoditate illorum, qui usurpare voluerint.

Similiter

Similiter benè notandum in hac materiâ movendi & dilandandi affectus, plurimum prodesse, si quis in usu cuiuscunque ex suprâ dictis modis adhibeat verba, quæ in Sacræ Scripturæ & aliorum librorum à Sanctis scriptorum lectione occurrent, & affectuosa sunt (quo fine in unoquoque modorum illorum exemplum aliquod Sacræ Scripturæ adduxi, saltem in sensu accommodo, quando in proprio non potui) maxime si quis devotionem in voce aliqua sentiens, eandem repetat subinde, ut fecit S. Augustinus, dicens: *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua. & nova, serò te amavi.* & David cum

epeteret: *Paratum cor meum; paratum cor meum; &* alias quando instabat apud Deum, aut affectum extraordinariū sentiebat, ut videre est in exemplis compluribus supra adductis, & hoc fieri poterit etiam dum quis ex instinctu Spiritus Sancti, vel ex seipso verbum aliquod protulerit, affectum similem Sanctorum continens.

*Moderatio in usu Supradicti Exercitii potentiarum adhibenda.*

**N**Equè prætermittenda est necessaria admonitio, in exercendis affectibus, in discursu, in usu memoriæ & imaginationis,

tionis, & in omnibus denique actionibus, dum quis meditatur, diligenter cavendum, ne lædat pectus, aut caput, inferendo sibi violentiam, quia præter damnum corporale, multa etiam sequi solent damna spiritualia: E. G. languor quidam, & remissio in meditando, præ timore, ne iterum se ipsum lædat, frigus quoddam, & inefficacia affectuum; exigua dispositio ad recipiendum semē divinarum inspirationum, & influxuum; facilis omissio meditationis, sive voluntate propria, sive suasu medici, & mandato patrum spiritualium, & alia huiusmodi. Evadet ergo periculosum hunc scopulum, si suavi-



ter procedat, prout docent spiri-  
tualis vitæ Magistri. Suavitas  
porro præter modos, quibus  
quasi per negationes declarari  
solet, id est, ne violentia infera-  
tur, ne pectus constringatur, ne  
lachrymæ extorqueantur, ne  
tam incensa & vehemens nimia  
actualitas adhibeatur, nisi expe-  
riencia fallit, videtur dici posse  
consistere in hoc, ut ea diligen-  
tia meditationi impendatur, quæ  
impendi solet colloquio cum  
personâ alicuius dignitatis in-  
stituendo, aut certè discursui in  
publicum proferendo; nec aliud  
quæritur; nisi Deus, qui disponit  
omnia suaviter, singulari gratiâ  
suâ, ad maiorem quandam appli-

hupbiup

cationem

cationem vocet. Ratio huius est, quia cum duo solum in hac occupatione præstanda sint, scilicet, ut memoria, intellectus, voluntas, & imaginatio bene exercean- tur, & ut hoc ipsum suaviter, & absque nocumento fiat; utrum- que convenienter perficitur, dummodò ad meditandum iam dicta applicatio adhibea- tur; experientia siquidem do- cet, quod cum quis cum per- sonâ aliquâ illustri loquitur, aut publicè sermocinatur, imaginationem probè exerceat, ibi fixam tenendo, ubi à principio discursus applicavit, absque distractione; memo- riam verò, fideliter reddendo.

quidquid

quidquid dicere statuerat; intellectum autem, convenienter discurrendo, consequentia cum antecedentibus aptè connectendo, superflua rescindendo, ornate dicendo &c. Voluntatem denique dum moveretur, modò ad supplicandum, modò ad gratias agendum, modò ad petendum, nunc irascendo sibi, nunc se offerendo. &c. præterea experientia constat adhibito, huiusmodi discurrendi modo in fine meditationis tam solere nos esse fortes & vegetos, ut absque defatigatione ulla capitis aut pectoris possemus producere ulterius, si vellemus, & si frequenter hoc accidit, dum quis ex

impro.

improvise absque præconsideratione prædicto modo discurret, sine dubio æque bene, vel etiam melius succedet in meditatione, ubi quis vel secum ipsæ, vel cum Deo loquitur. &c. præsertim si notatæ supra præparaciones fuerint adhibitæ. Quibus adiungendum quod in meditatione divina nobis Sapiencia assistat, suaviter docens, & suavius movens: imò quod plerumque eo tempore homini communicari solet tanta cognitio intimorum recessuum cordis sui, spiritualiumque suarum necessitatum per examen conscientia, & meditantibus tum lectione spirituali, tum con-

cionibus sive exhortationibus  
auditis taliter addisci, quomodò  
cum Deo loqui oporteat, quam  
prompta sit Maiestas divina ad  
succurrendum hominibus, imò  
quod ipsa homines ad favores,  
& beneficia postulanda exsti-  
mulet: ut non videatur posse  
dari casus, quo quis accedens  
eo quo dictum est modo, non  
bene peragat: & quantumvis  
verum sit, quod inter discurren-  
dum cum personâ aliquâ illu-  
stri, præsertim publicè, ipsum  
obiectum sensibile præsens mul-  
tum ad hoc conferat, ut discursus  
bene succedat, quod in me-  
ditatione non apparet posse fie-  
ri, quia in illis non repræsenta-

tur

tur persona divina, aut alia cum qua loquitur, sicut obiectum revera sensibile sed imaginatum solummodò, vel fide apprehensum; nihilominus etiam verum est, adhibitâ aliquâ diligentia ad formandam huiusmodi, sive imaginationem, sive apprehensionem, solere tam esse fixam ac firmam, ut quandoque visioni obiecti sensibilis nihil cedat; maximè quia tale obiectum subinde aut per seipsum, aut per connexionem cum alijs faciliè causat distractiones; quod ordinariè non facit persona divina bene imaginata, imò potius certâ quadam reverentiâ, & sacro horrore causat veram & honorificam

attentionem, ut vult S. Basilius: tunc potissimum, cum adiunctam habet solidam mortificationem phantasiæ naturâ suâ nimis vagabundæ.

*Ultima Colloquia Meditationis.*

**Q**uantumvis in usu supradictorum modorum excitandi & dilatandi affectus, varia colloquia inspersa fuerint, quæ quovis tempore meditationis adhiberi possunt, prout affectus excitatus, vel illorum auxilio excitandus postulaverit, modò gratias pro beneficijs Deo agendo, modò eidem nos offerendo, modò gratiam aliquam ab eo

postu-

postulando: quandoque propter defectum aliquem culpabiles nos profitendo, adeoque veniam deprecando; interdum infinitam Dei misericordiam exaltando, summa, affectum prosequendo, & cum divinâ bonitate, vel Beatissima Virgine, aut Sanctis, aut alijs creaturis, aut nobis ipsis tractando, prout experiemur consolationem vel desolationem; prout desideravimus hanc vel illam virtutem, prout determinare voluerimus quid pro reliquâ parte vitæ nostræ bene transigendâ expediat, prout tristitiam vel lætitiâ ex materiâ meditationis elicere cupiverimus. &c. Nihilominus ad finem meditatio-



nis iterum instituatur colloquium unum vel plura sicut devotio dictaverit, & oratione aliquâ vocali rei proportionatâ concludetur, sive sit *Pater Noster*, dum æternum patrem alloquimur, sive *Anima Christi*, dum Deum filium; sive *Veni Creator*; dum Spiritum Sanctum; sive *Ave MARIA*, dum Beatissimam Virginem; sive psalm. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quando creaturas alloquimur; sive deinum psal. *Benedic anima mea Domino*, quando nobiscû ipsis agimus: ad omnes enim personas supradictas aut res possunt colloquia institui convenienter materiæ & affectui.

Verum

Verum quidem est, quod postremum omnium, pro conclusione meditationis & decenti com meatu à Deo, qui tam faciles aures præbuit, & benignè excepit, impetrando, ad ipsam divinam Majestatem dirigendum esset, & oratione Dominicâ concludendum; præsertim cum quæ ad Sanctos, aut alias creaturas instituuntur, serviant ad affectus excitandos, & dilatandos, ut dictum est; vel ad impetrandam aliquam gratiam, per modum intercessionis; quod verò ad Deum dirigitur ultra excitationem affectus, & impetrationem beneficiorum, servit etiam, ut dictum est, ad decen-

ter, & cum debitâ reverentiâ recedendum à divino conspectu, ante quem se ab initio meditationis constituit. Et postremum hoc colloquium ordinariè institui poterit, per modum: *Gratiarum actionis, oblationis, & petitionis.* modò assumendo personam Servi cum Domino suo agentis; modò filij cum Patre tractantis; modò amici cum amico conversantis; modò Rei Iudici Supplicantis, prout magis convenit materiæ meditationis, & affectui, quem sentiet, & Spiritus Sanctus singulariter dictaverit.

Notandum etiam quod tempus colloquiorum aptissimum sit ad commendandum Deo, &

---

Sanctis

Sanctis res illas, quas quis solet, aut vult, aut debet commendare, sive proprio instinctu, sive alieno rogatu, aut commissione; præsertim quia cum meditatio affectuosa fuerit, ac fervens de divinis rebus, etiam ipsa dona gratiarum majori affectu postulabuntur, & facilius quoque à Deo impetrabuntur.

Denique à loco meditationis recessurus internam, externamque reverentiam Deo exhibebit, à cuius honorificâ conversatione discedit, cum animo aliquoties per diem in memoriam revocandi, quæ inter ipsum & suam Maiestatem tractata sunt,

ut Sanctarum illarum cogitationum reliquæ, ad continuum die festum, & iucundum convivium iugiter celebrandum conducant.

*Quid post Meditationem faciendum.*

### C A P V T III.

*Examen successus Meditationis.*

**F**initâ meditatione poterit sedendo, vel ambulando, vel alio modo ut placuerit, examinare modum quem observavit in præparatione ad meditationem, in formandâ præsentia Dei, in oratione præparatoriâ & prælu-